
QUAESTIONES CATULLIANAE

scripsit

Hugo Weber



Gothae
in aedibus Fr. Andr. Perthesii
1890


HARVARD COLLEGE
DEC 11 1891
LIBRARY.

HENRICO KEILIO

SACRUM

226

Quas commentatiunculas per varia temporum meorum commoda vel incommoda ad artem grammaticam et ad interpretationem emendationemque antiquorum scriptorum pertinentes vel amplioribus verbis perscriptas vel paucioribus significatas dudum collegeram, earum ut aliquam partem pertexerem et in corpusculum quoddam componerem aliquando sollicitatus has edere constitui quaestiones Catullianas. Quae, quo tempore B. Schmidtii nova recognitio cum prolegomenis et adnotatione critica prodiit, omnes iam absolutae fere erant, sed hinc et aliunde addita sunt postea quaedam et suppleta ad rationes nostras firmandas, ne ea neglecta viderentur, quae ab aliis huc spectantia disputata sunt.

Ceterum si qui mirantur vel tabula argumenti inspecta in hoc libello de carminibus LXII et LXVIII denuo copiose disseri, quia nimis fere multa de his iam scripta sint, nihil magis nobis optandum est, quam illud ut his commentationibus perlectis mirari desinant et denuo his exemplis comprobatum fateantur id quod Welcker quondam *kleine Schriften* II p. 129 dixit: *Es ist der Nebenvortheil der einfach richtigen Wahrnehmung, dafs sie zur sichern Berichtigung vieler andern Umstände und Beziehungen Veranlassung giebt.*

Scr. Isenaci mense Ianuario a. 1890.

H. Weber.

1. De carmine LXII.

Catulli *epithalamium,* quod vocat Quintilianus in inst. or. IX 3, 16, stropharum certa quadam ratione compositum esse etsi id quidem constat, ea tamen distributio nondum recuperata est, quae artis maxime propria fuisse videri debet. Ac media quidem eius carminis pars, quae intercedit inter versus 19 et 59, ad strophicae responsionis regulam facile derigitur versus intercalaris collocatione. Dubitabatur tantum fere in alteris quae vulgo numerantur eius partis strophis i. e. in versibus 32—38 de numero versuum, qui interciderunt, quamquam ea quoque opinio erat non modo versus quosdam utriusque strophae, sed complures strophas lacuna illa haustas fuisse. Nam in tertia stropha post v. 41 unum versum deesse et in antistropha post v. 58 versum qui amissus est intercalarem inserendum esse certum est et exploratum.

Iam quae reliqua sunt praeter illud iuvenum et puellarum carmen amoebaeum, ea inter se non omnia nec versuum numero congruunt nec eam habent sententiarum concinnitatem aut responsionem, quae carminis argumentique ordinem satis apte distinguat et illuminet. Deesse enim aliquid ad eius quae desideratur fere aequabilitatis rationem, si interpretationis artificia huc usque adhibita perlustramus, satis apparet.

Magna vero est copia et discrepantia sententiarum de partium responsione prolatarum, cuius diversitatis commodum praebet conspectum L. Schwabe in adnotatione editionis a. 1866 et Otto Franke in dissertatione inaugurali de artificiosa carminum Catullianorum compositione Gryphiswaldiae eodem anno edita. Hic p. 42 sq. novem virorum doctorum varias eius carminis partitiones composuit, quod carmen ad certam stropharum rationem conformatum fuisse primus Naeke a. 1823 explicavit. Denuo ratione

subducta A. Bonin earum sententiarum usque ad annum 1885 numerum confici undenarium indicat in libello cui titulus est *Untersuchungen über das 62. Gedicht von Catull. Progr. des Realgymn. Bromberg* 1885 cf. ibid. p. 9. Nunc igitur cum bono omine duodenarii numeri expleti periculum faciam. Tertium enim decimum conamen sero mihi cognitum, quod Fr. Hermes tentavit cf. *Progr. des Friedrichs-Gymn. Frankfurt a. O.* 1889 p. 14 f., infaustum est.

Eae autem dubitationes maxime pertinent ad eos cantus qui versibus 11—19 et 59—66 continentur et qui vulgo iuvenibus tribuuntur. Et quoniam versus 1—5 et versus 6—10 inter se respondent, qui ad omnia inaequalitatis cuiusdam incommoda tollenda remedia quaesiverunt interpretes, contendunt versus 1—19 prooemii locum tenere, cuius pars altera i. e. versus 11—19 vel priori i. e. versibus 1—5 cum versibus 6—10 respondeat, ut Baehrensio quoque videtur in commentar. p. 334, vel epodi loco accedat ad priorem partem, sicut rursus totum carmen denuo subsequatur epodos altera i. e. versus 59—66, quod O. Ribbeckio placet cf. *Geschichte der römischen Dichtung* I p. 327.

Alii autem iuvenum alterum cantum, quo totum carmen claudatur, cum unius versus lacuna antistropham esse volunt prioris cantus i. e. versus 59—66 versuum 11—19, quorum e numero nomino G. Hermannum, cuius sententiam in censura M. Hauptii quaestionum Catullianarum indicatam in Jahnii annal. XXII p. 307—309 postea M. Haupt ipse Lachmanno commendavit cf. op. I p. 35. Sed cum incerti ambitus lacuna post v. 58 facta amisso alicui puellarum cantui illum cantum respondere nuper denuo Baehrens l. c. suspicatus est.

Iam quid causae fuerit, cur hanc vel illam opinionem interpretes sibi finxerint, ubi opus erit suo loco significabimus. Sed si contigerit nobis, id quod volumus, ut totius carminis compositionem per singulas partes omnibus numeris absolutam esse demonstremus, singularem illam pulchritudinis speciem, qua inter Catulli carmina hoc maxime excellit propter rerum simplicitatem et veritatem, item in concinna membrorum dispositione intueri licebit. Nam nos quidem quaerimus non numerorum externam paritatem, sed sententiarum necessariam aequabilitatem. Quam-

quam probe tenendum esse mihi quoque videtur illud, quod nuperrime denuo monuit Wilamowitz *Eurip. Herakles* II p. 211, 2: *das gefällige ist in der kritik kein ausschlaggebendes moment.*

Praeterea, id quod nondum eo usque patefactum est, ut nulla relinquatur obscuritas aut dubitatio, hoc carmen Sapphici alicuius hymenaei exemplum esse per Latinum sermonem optima fide redditum obtinuisse nobis videmur. Quid quod eam carminis originem fuisse nuper demum negavit Baehrens in comment. p. 335 sq.

I.

Sed in his quaestionibus, quas ab initio quidem parcis et necessariis tantum subsidiis literatis usus institui, postremo recensione eius carminis absoluta fere et totius disputationis capitibus perscriptis neminem intellexi poematis condicionem scripturaeque vitia rectius cognovisse quam K. Pleitnerum in libello a. 1858 edito *des Q. Valerius Catullus Hochzeitsgesänge. Gratulationsschrift für Friedr. Thiersch. Dillingen.* Simul autem illud mihi constitit vix aliam extare commentationem Catullianam, in qua tam miro modo cum vanis et ineptis vera confusa et omni orationis argumentationisque concinnitate destituta proferrentur. Sed errores eius viri et vanitates ubique fere omittam.

Atque ut quaeque carminis pars loco antecedit, ita de ea ex ordine viri docti disputare soliti sunt, velut O. Franke l. c. p. 44—48 alii. Sed qui ita pedetentim et gradatim ab initio carminis progrediens viam sequitur, is quamvis prudens facile de vero eius carminis habitu fallitur. Quid quod tota expositio tam dilucida videtur, ut etsi lectiones quaedam incertae existimantur, tamen quemadmodum iuvenum puellarumque partes discribendae sint nulla moveatur dubitatio.

Verum enimvero initium disputandi sumendum est a carminis exitu, cuius quae dispositio sit nisi manifestum fuerit, de prooemii quod dicitur ordine nulla fieri potest coniectura.

Ac primum quidem secundum vulgarem opinionem post v. 58 iuvenes novam nuptam mariti domum introgressuram his verbis adhortari incipiunt, quae in codice T sic traduntur:

59 *et tua nec pugna cum tali coniuge virgo*
non equom est pugnare pater cui tradidit ipse

V praebebat *et tu*. Alter versus a priore vulgo plenae distinctionis signo separatur, ut prior versus unum efficiat enuntiatum et verba *non aequom est pugnare* coniungantur cum sequentibus. Nam is vulgo corrigi solet et distingui in editionibus hoc modo:

at tu ne pugna cum tali coniuge, virgo

quae etsi per se apta sunt, nec in T nec in G O exstant. Accedit quod in altero versu ‚subdurius suppletur *cum eo* vel *ei*, cum praesertim et *te* subintellegendum sit', ut verissime Baehrens ad v. 60 monuit. Igitur verborum structura integra et incorrupta evadit hac demum iunctura facta et distinctione

. . . ., *cum tali coniuge, virgo,*
Non aequom est pugnare, pater cui tradidit ipse.

De pugnandi notione cf. Ovid. a. a. I 561

Implicitamque sinu — neque enim pugnare valebat —
Abstulit,

met. II 436

Illa quidem pugnat;

Quae relinquuntur *et tua nec pugna* iam manifestant ante hunc versum praeter versum intercalarem post tertiam antistropham restituendum aliquid amissum esse, quod hoc versu 59 continuatur. Quae sententia desideretur, certis et angustis quibusdam finibus circumscribi potest.

Iuvenes autem hos extremos versus 59 sqq. cantare uno fere ore omnes interpretes consentiunt, nisi forte — id quod A. Riese dubitanter iuxta eam opinionem posuit, quasi ut optio daretur legenti — poetam ipsum subito persona mutata ut epilogum addat ad dicendum prodire opinamur. Sed tali violentia, quae iudicari debet, poeta suum consilium quod in distribuendis actionis partibus persecutus est, ipse turbaret. Quod incredibile est vel ut recte dicatur ineptum.

Sed si iuvenibus hae partes dantur, quid? puellae in silentium damnatae nihil amplius habent quod proferre possint? praesertim cum, siquidem carminis actio ad exitum suum hic perducta est, iam nupta virgo domum novi mariti introitura sit, cuius in manum venit? Nam, id quod Baehrens contendit, ad nuptam ‚si

in fine verba sua derigunt adulescentes, par est et puellas simili admonitione adlocutas esse novum maritum', certe exspectamus etiam puellas eius adhortationis participes esse, qua carmen clauditur; sed ad virginem se convertere debebant, non ad maritum.

Quid enim? si in tribus omnibus carminis amoebaei strophis et antistrophis certamen puellarum et iuvenum ubique ad virginis sortem, quae viro nubit, pertinet, primum quae a matre avulsa sit, tum quae ex aequalium grege ablata sit, mox quae huc usque intacta manserit, num omnis epilogi oratio de virginitate quae marito debeatur iuvenibus dari potest? potestne certamen illud hoc epilogo iam ad finem perduci et componi una tantum parte certantium audita? Scilicet iuvenum victoria portendi videtur viris doctis ea re, quod ante carmen amoebaeum et post illud ii soli dicentes inducantur, eamque ipsam ob causam neglegi et removeri puellas finxerunt. Ergo validiori sexui duplici tantum adiumento id commodum sive victoriam parare potuit poeta? Ac rursus qui Lachmannum secuti hunc epilogum totum puellis tribuunt, ut nuper A. Bonin l. c. p. 11 id fecit, non minus iniquum carminis ordinem instituisse iudicandi sunt. Recte igitur is sensit, qui puellarum quoque aliquas partes in carminis fine esse voluit.

Sed si iam recipimus eam quam supra proposuimus emendationem, reliquus totus locus sic legitur in Schwabei editione altera:

. . . ., *cum tali coniuge, virgo,*
Non aequom est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est:
Tertia pars patrist, pars est data tertia matri,
Tertia sola tua est. noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Iam vero haec oratio sententiis quidem tam plana est et evidens, ut unicuique apparere debeat argumenti, quod in hac carminis parte de virginitate profertur, gemellam esse rationem. Eadem enim cogitatio duplici modo affirmatur, primum quod pater et mater virginem marito tradiderint, non aequum esse pugnare cum coniuge; tum quod virginitatis una tantum pars ipsius sit, virgo

monetur, ne duobus reliquis dominis, patri et matri, adversetur. Neque amplius certamen illud ducitur, quod antea inter puellas querentes erat et iuvenes earum crimina defendentes, sed iam ea controversia ita dirimitur, ut idem argumentum semel prolatum denuo immutetur tantum et non sine aliqua venustate paululum flectatur, sed utraque ratio eodem redit, id quod versus 61 aperte declarat

quibus parere necesse est

collatus cum versu 65 hoc:

genero sua iura dederunt.

Certamen igitur non continuatur, sed argute et eleganter componitur, quoniam talis conclusio totius carminis consilio, cui accommodatur, deposci videtur.

Certe v. 62 et quae sequuntur iuvenum tantum ori conveniunt; quid? quae praecedunt, si puellis tribuenda sunt? Nempe mariti iura iuvenes tuentur, qui *genero* patrocinantur; virginem adhortantur puellae, dum in adlocutione vocativo *virgo* utuntur, coniugem talem i. e. talem qualis est sive ‚virtutibus tam eximium' laudantes. Ac vocabulum ‚talis' ita vulgo usurpari, docent vel hi loci Ciceronis pro Sex. Rosc. 52, 151: *nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hic, tales viros, sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint* et divin. in Caec. 16, 51: *sed de isto custode toto sic vobis brevissime respondebo: non esse hos tales viros commissuros, ut* . . . Virginitatis vero nomen a iuvenibus in initio versus positum ita fere collocatione notatur, ut eo adducamur iuvenes id vocabulum ad puellarum verba quaedam alludentes referre. His igitur rationibus apparet unum versum intercidisse ante versum 59, in quo virginitatem iam vel coniugi deberi vel eius fieri memorabant puellae.

Verbis igitur quae exstant in codice T

et tua nec pugna

continuantur quaedam priora. Iam cum *nec pugna* integra sit et iusta structura — nam de negatione *nec* in modo prohibitivo usurpata et apud Catullum legitima cf. Kühneri gramm. lat. II p. 147 sq. — pro verbis *et tua* videtur emendandum esse *est tua* sc. virginitas, quam iuvenes, dum puellarum aliquod dictum

excipiunt, non omnem nuptae esse contendunt arrepto quod illae usurpaverant vocabulo ad refutandum his verbis:

tertia sola tua est.

Praeterea similem respectum haberi in *pugnandi* nomine reliquisque puellarum dictis iam manifestum fit.

Dativum autem cum verbo pugnandi iunctum in v. 64 (cf. Prop. I 10, 21 *Tu cave, ne tristi cupias pugnare puellae)* Graeco more putant plerique primum Catullum hic adhibuisse cf. Draeger, *Historische Syntax* I² p. 406. Kühner l. c. p. 234. omninoque saepius videmus, ubi graeci et latini sermonis eadem aliqua extat verborum sive structura sive notio, eam immerito ad Graecorum imitationem referri. Sed etsi apud Ovidium in met. I 19 sq. duplex est eiusdem verbi pugnandi structura

Frigida pugnabant calidis umentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus,

equidem tamen crediderim Catullum, utpote qui tam accurata sermonis proprietate utatur, non sine notionis differentia in v. 59 *pugnare cum* et hic *pugnare alicui* dicere voluisse. Ergo non vere Graecismus mihi is dativus videtur esse, sed ex adversandi vi pendens indicat secundum latini sermonis vulgarem morem eos, ad quos certamen pertinet, sed cum quibus ipsis, ut cum coniuge, non initur. Sed eius dativi in verbis pugnandi apud poetas aetatis Augusteae usitati originem ab ipsa Latini sermonis natura repetendam esse, iam monuerunt Bach, *Die Lehre vom Gebrauch der Casus in der lateinischen Dichtersprache. Gotha* 1848 aliique, quos attulit Hoerle de casuum usu Propertiano diss. Halens. 1887 p. 41.

Habet igitur hic cantus parem stropharum aequabilitatem et orationis responsionem atque priores strophae et antistrophae, ita tamen ut quoniam nunc conciliantur iuvenum et puellarum voluntates, dissoluto iam certamine sermones contrarii versu intercalari non separentur, sed inter se iuncti versu illo finiantur vel potius consocientur. Igitur is cantus, qui carminis amoebaei certamen tamquam clausula sequitur, aptus dici debet ipsi totius poematis actioni nunc confectae.

Nam quod M. Haupt op. I p. 36* contendit: *die letzte*

strophe zeigt durch ihren inhalt, dafs sie nicht den jungfrauen gehört, id est ex iis rationibus, quae facile speciem quandam veritatis habere multis videntur, tamen re ipsa considerata nihil valent. Quid? nonne rursus importunum dici possit haec verba ad virginem derecta iuvenibus tribuere? Sed nunc satis habeo siqui aliter sentiant eos ad argumenta modo prolata relegasse; hic vero significare tantum liceat iuvenum et puellarum eas orationes Sapphicae poeseos, cuius hoc carmen exemplum esse incorruptum certis argumentis comprobabitur, facunda et sincera libertate defendi.

Perventum enim est iam ad aedes mariti, in quas introitura est nova nupta. Transitus autem uno illo versu suppleto a strophis antecedentibus ad has nunc ita fit, ut omnino nihil ad conexum desit ac ne cogitari quidem ulla alia sententia intercedens possit. Nam laudibus novorum coniugum, quas L. Müller in praefat. edit. suae p. XXIII desiderabat, nullum in hoc carmine locum esse rerum series et orbis ostendit, ad quas cantus alterni pertinent.

Unum hic statim addere liceat. Versum 63 e lectione ea, quam codex T praebet, a qua codicis quoque O scriptura originem traxit — nam in G, ut in ceteris libris, interpolatio manifesta est — sic refingo:

Tertia patris pars, pars est data tertia matri,

maxime ea de causa, quia in superiore versu iam bis adhibetur illud *est*, quod hic in priore versus parte omitti debet — 'incommodum' vocatur a. B. Schmidtio in adnot. crit. —, cum hoc novum colon, quo partitio illius per se infinitae descriptionis *ex parte* instituitur, superiori

ex parte parentum est

nexu continuo per eundem casum adhaereat, nova autem repetitio verbi *est* in sequentibus mutata structura poscitur. Notum enim est in enumeratione partium velut per 'unus' 'alter' 'tertius' orationem saepe variari. Haec neglecta sunt in coniecturis reliquis, quae vel dativum exhibent 'patri' et 'patrist' vel genetivum addito 'est'. Cur A. Riese mensuram 'pātris' respuat, equidem iustam causam non video cf. L. Mülleri de r. m. p. 314 sq., nisi speciosam illam a Fr. Schöllii argumentatione pe-

titam (*Neue Jahrb.* 1880. 121 p. 490), quod apud Catullum ea mensura inaudita sit; nam *pātrimonia* in c. XXIX 22 iamborum ratione excusari. Est vero ea non legis alicuius metricae inventio, sed ex illis argutiis, quibus earum inventores ad diversissimam deferuntur rationis, quam esse credunt, speciem, quod videmus accidisse in caesurae sede quaerenda versus Sapphici a Catullo adhibiti cf. L. Mülleri praef. p. LXXIII et Baehrensii proleg. p. 56. Iucundum est cum his argutiis conferre G. Hermanni sanitatem cf., el. d. m. p. 680, qui quidem Catullo eam in versus Sapphici numeris reddendis libertatem reliquit, quam cum is primus Sapphicam stropham inter Romanos imitando exprimeret sibi sumpsisse putandus est. Sed enim, ut ad *patris* mensuram redeam, iam Rud. Sydow in dissert. inaug. de recensendis Catulli carminibus Berolini 1881 ed. p. 35 * affert e Lucretio *pātres* IV 1222, ex ipso Catullo *cūpressu* 64, 291. *dūplex* 68, 51. *flāgrantia* 64, 91. *flāgrabat* 67, 25. *flāgrans* 68, 73. *flāgrantem* 68, 139. *mītrae* 64, 68. *scābra* 68, 151. *sūpremo* 64, 151. — Adde Ovidium, qui etsi multo saepius eam syllabam corripuit, tamen produxit quoque *pātre* met. VIIII 72, *pātres* VII 431, *pātria* III 583; de qua mensura Catullo concedenda cum Lachmanno nec M. Haupt nec B. Schmidt, artis metricae locupletissimi auctores, dubitaverunt.

Nec possum hoc loco Friderici Schöllii iudicium reticere, quo hunc versum non minus ‚innocentem' quam est versus 14 damnavit cf. l. c. p. 490 sq. Is vir doctus ut est perspicax iure quidem monuit matri nunc a cantantibus ‚datam esse' non posse tertiam virginitatis partem, quam sibi debitam illa iam haberet. Contra parentes suam partem ‚genero dedisse' recte dici. Sed quod per se quidem reapse verum est, id ad hunc locum non pertinet. Neglegitur enim in hac interpretatione sermonis quaedam proprietas, quae levissima videtur, sed quae nec omnino nullius est ponderis nec apud Catullum, qui cum sincera sermonis gratia magnam in verborum collocatione sollertiam coniunxit nihil valet.

Magis igitur minusve diversam inferri posse notionem verborum ordine, si dicitur *data est* aut *est data*, et consentaneum est et altero Catulliano exemplo comprobatur. Nam primum periphrasis verbalis ‚datus sum, es' etc., per quam in

passivo genere praeteritum tempus significatur, quoniam in unam notionem coaluit, inverso partium ordine denuo quasi in partes suas dissolvitur, ut ea membra suam quandam vim rursus recipiant. Fit igitur deinde, ut legenti prius occurrat notio verbi ‚est', cui additur altero loco ea forma, quae collocatione sua veri participii vim certe aliquatenus recuperat.

Effectum esse aliquid ad sententiae vim gerundivi et verbi ‚est' disiunctione unusquisque sentiet in hoc loco V 4 sqq.:

Soles occidere et redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

Ubi proximo vocabulo ‚lux' opponitur continuo ‚nox est', cui demum reliqua adiciuntur gerundivi forma conclusa. Ita propria notio separatim collocata validior fere fit, quae proxime coniuncta cum insequenti ‚est' vi sua minuitur.

Licet in permultis locis ea quam statuimus differentia evanescat fere, tamen in totidem aliis fit conspicua, et est certe ea, quae si non semper per ipsam collocationem etiam nolente scriptore efficitur, tamen hoc volente et intendente facile in legentis animum incidat. Iam in his quae ex intimi animi commotione dicit poeta in c. LXVIII 22 = 94 collocatio quidem verborum ferire debet sensum nostrum:

Tecum una tota est nostra sepulta domus

ubi ‚tota est' sive ‚totast' a principio ampliorem eam cogitationem excitat, quae per insequens ‚sepulta' proprie praedicatur et in angustias redigitur.

Igitur ut ‚adlocutus est' par est omnino activae formae ‚appellavit' similiterque fit in omnibus passivi praeteriti formis, ita ‚deserta sunt' non idem est ac ‚sunt deserta', quod ostendunt haec in c. LXIV 186 sq.:

omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.

ubi reliquarum notionum propinquitate ea differentia augetur.

Ac patet illud, sicut formae ‚iratus' ‚notus' ‚sanctus' aliae adiectivorum vices plerumque tenent durantemque aliquam significant vim, item ad eandem vim aliquatenus admoveri alia participia verbum auxiliare ‚est' subsequentia, velut in c. XVII 14:

Quoi cum sit viridissimo nupta flore puella,
ubi ut e proximis apparet matrimonii status iam inceptus notatur.

Sed varietates tantum quasdam eius notionis, quae commutata collocatione ipsa immutatur, significare voluimus simulque illud indicare eum locum grammaticum dignum esse, qui accurate tractaretur. Sed qui eum tractaverit, apte simul adiunxerit alterum locum qui est de pronominis personalis usu et collocatione cum verbis copulati. Dicitur enim *surrexi* et *ego surrexi* et *surrexi ego* cum quadam diversitate intentionis, velut Cicero pro Sex. Rosc. 22, 60 haec dixit: *peroravit aliquando* (Erucius), *adsedit: surrexi ego,* quae apte describit Halm „wer nun aufstand, das war ich“. Similiter dicitur *surrexi ego* atque illud *est datus.* Iam illud quod hac digressione paravimus iure contendere licet, verba *est data* in Catulli carmine prorsus ad eam collocationis inversae notionem interpretanda esse. Igitur quoniam praegreditur ‚*est*’ quod subsequitur id participium, ea verba perfectum aliquem statum indicant neque alia est ratio alterius loci Catulliani de Cominio inviso accusatore c. CVIII 3 sqq.:

Non equidem dubito quin primum inimica bonorum
Lingua execta avido sit data vulturio,
Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

Ubi Baehrens *sit data* per ‚quam celerrime detur’ describit; rectius Riese, dum singulis verbis interpretationem propius applicat, sic reddit: *die Zukunft ist in der Zeit der Verse 4—6 schon als eingetroffen ausgedrückt.* Sed quod tempus futurum indicatum esse dicit, potius ipsa cogitatio modi potentialis formis ‚sit’ (et ‚voret’) exprimitur, cui vis perfectae actionis per ‚data’ additur.

Porro si Fr. Schöll eum versum accusat, quod enumerationem faciat ab hexametro abhorrentem, certe ab omni poesi enumerationis taedium alienum est; sed etiamsi ad conexum versuum 62 et 64

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est,
Tertia sola tua est;

versus 63 non necessarius videatur, tamen nec nocens nec ineptus iudicari possit. Nam si illud ‚ex parte’ iuvenes cum verecundia

quadam in parentes novae nuptae conspicua ita ut faciunt interpretantur, illud quoque, quod parentes *sua iura genero dederunt* planius fit. Sed de eius versus integritate nemo fere amplius iam dubitabit, nisi cui in omni interpretatione illud destinatum esti „alles entbehrliche ist überflüssig, alles überflüssige störend, alles störende unecht“; quam ad normam iudicium suum derigere interpolationum rimatores nimis acutos nuperrime Wilamowitz cum castigatione monuit.

Profecta est haec disputatio ab ultimis versibus, quia nisi hinc et reliquis et prooemii ordini lux affunditur, totius carminis dispositio in obscuro manet. Ita vero res se habet neque dubitamus nunc illud addere, qui hanc sententiam de epilogo propositam probaverit, eum cogi comprobare, quae *de prooemii ordine* mox proferemus.

Iam primum omnium si quidem ultimarum partium responsio recte constituta est, quoniam eae in unum systema coniunctae versu illo clauduntur, qui usque recurrens carminis amoebaei a versu 20 incipientis strophas concludit, illud certe sequitur ultimo systemati aliam partem nullam respondere posse nisi versus 11—19, quos iuvenum esse omnibus constat nec in dubium vocari posse videtur. Schwabei recensio eos sic exhibet:

11 *Non facilis nobis, aequalis, palma parata est:*
Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur: habent memorabile' quod sit.
Nec mirum, penitus quae tota mente laborant.
15 *Nos alio mentes, alio divisimus aures:*
Iure igitur vincemur: amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere iam incipient, iam respondere decebit.
Hymen o Hymenaee, Hymen, ades o Hymenaee.

Sed huic opinioni certae rationes obstant. Nam si verum esse sumamus, hos versus iuvenum tantum esse, poeta consilio suo in ipsa poesi non par fuisse existimandus erit ea de causa, quoniam antea ab initio invicem iuvenes et puellae dicunt, postea autem certamen illud a duabus his partibus initur coeptum a puellis. Hic enim singularis iuvenum cantus, quo actionis perpe-

tuitas importune violatur, alienus est ab omni arte. Quid enim? iuvenes dicunt, puellae silent ac meditantur? Atqui certissimum est neque ante hunc locum neque post eum quidquam intercidisse: versus enim 18 et 20 — inter quos intercedit versus intercalaris — nullo modo alter ab altero separari aut divelli possunt; eademque necessitudo est versuum 11 et 9. Ergo cogimur necessario putare versus 11—18 distribuendos esse inter iuvenes et puellas ita, ut quoniam posteriores quattuor versus propter versum 18 hunc

Dicere iam incipient, iam respondere decebit

iuvenibus dari debent — nam post versum intercalarem (19) a versu 20 initium fit cantus puellarum —, puellis priores quattuor versus 11—14 contingant.

Permirum id videtur. Nam huic rationi statim occurrit in versu 11

Non facilis nobis, aequalis, palma parata est,

vocativus ille *aequalis*, quo unus e iuvenum turba ad socios se convertit; monet deinde idem in versu proximo, ut innuptas adspiciant, his verbis:

Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.

Nempe haec testimonio sunt iuvenes hic designari, non puellas. Ac tamen ratio evicit rem aliter se habere.

Iam si *aequalis* generis feminini esse et ad puellas pertinere fingamus, ut *innuptae* vocativus sit, novae exoriuntur molestiae hae, primum ut duplex inferatur allocutio, deinde ut versu demum altero cognoscamus, uter chorus, iuvenum an puellarum, nominetur. Nam earum partium quae praecedunt statim versus primi cuiusque initium, ut v. 1

Vesper adest, iuvenes.

et v. 6

Cernitis, innuptae, iuvenes?

illud indicat. Id quidem cum a perspicuitate postulatur, tum inprimis proprium est bonae antiquitatis. *Die Alten* — ut ait Ph. Buttmann vir longe sagacissimus in Mythologo II p. 370 — *verschmähten oder vermieden bei der Abfassung von Gedichten die Erwähnung aller Äusserlichkeiten, wie die Abtheilung von Gesprächen. Alles das mufste sich von selbst verstehen. Sehr natürlich ward dazu ein kleiner Wink zu Hilfe genommen.*

Hinc igitur efficitur, ut in his duobus versibus 11 et 12, ut nunc quidem leguntur, mendum aliquod scripturae nondum cognitum adhuc latere ratiocinemur.

Ac tentavit Baehrens illud *parata est.* Is haec in commentario suo scribit: '*parare victoriam* dixit Tac. Germ. 30; sed de vero participio cum cogitari nequeat in victoria nondum comparata, *paratus* accipiunt ‚promptus, in medio positus'. Sed palmam, licet non facilem, sibi in promptu esse non possunt omnino innuere iuvenes, qui mox v. 16 *iure igitur vincemur* dicant. Ipsa autem verborum collocatio vetat quominus asyndetice statuamus duo synonyma copulata esse (utique expectandum est *non facilis nec parata).* Legendum puto *paratu;* a qua constructione notum est nec poetas abstinuisse.'

Etsi haec recte disputata esse videri possunt, tamen parum caute de veritate scripturae *parata est* Baehrens dubitavit.

Ac primum quidem hoc apparet vocabulum palmae mera victoriae sive summae laudis notione hic adhiberi, quod fit apud Romanos non solum in poetica, sed etiam in prosa oratione. Velut ab Ovidio in metam. VI 50 de Arachne:

Perstat in incepto stolidaeque cupidine palmae
In sua fata ruit,

in Trist. II 506 alibi; a Cicerone pro Sex. Rosc. VI 17: *alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur,* de or. II 56, 227: *illud quidem admiror te nobis in eo genere tantum et non huius rei* [i. e. facetiarum in dicendo] *quoque palmam Crasso detulisse*: de or. III 35, 143: *sin quaerimus quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est.*

Deinde 'parare victoriam' significare non potest idem, quod per 'comparare victoriam' Baehrens descripsit neque apud Tacitum significat. Sicut is qui 'bellum parat' ea facit quae ad bellum gerendum pertinent vel bellum excitare possunt, item is qui victoriam parat, non ipse comparat victoriam, sed ita agit, ut victoria parabilis fiat. Inseruit igitur Baehrens iniuria interpretationi suae eam notionem, quae a verbo simplici parandi prorsus abest. De ea notionis diversitate a syllaba verbis simplicibus praefixa 'com' — pendenti infra p. 26 sq. 30—32 dicetur.

Praeterea ea quae Baehrens de 'veri participii' usu addidit

et reliqua huc non pertinere videbimus. Nempe si ‚verum participium' id intellegendum est — aliter enim tale participium intellegere non possum —, quod adiectivi vice fungitur, nihil omnino ea interpretatio ab altera differt, quae tanquam si diversa esset per vocabula ‚promptus, in medio positus' hic proponitur. Igitur secundum ea quae supra p. 9—11 exposita sunt et ea quae de simplicis verbi vi et de participio modo significata sunt, *parata est* non idem indicat quod *est parata*, sed verbalem suam actionis perfectae retinet vim. Negandi autem particula in initio versus posita pertinere potest et ad vocem ‚facilis' et, si verba sequentia aliquo modo artiore vinculo comprehendenda esse appareat, ad verba ‚facilis nobis .. palma'. Iam si hoc alterum, quod emendatione mox firmabimus, hic sumamus, negant puellae, quibus hunc versum tribuendum esse supra p. 13 suspicari cogebamur, facilem sibi .. palmam paratam esse, cum hoc ita negant nunc huius certaminis condicionem non eam factam esse sive institutam, ut facilis sibi .. palma imperata sit sive proposita sit — ita fere nunc verba eius describere licet. Quid? si puellae in hac ‚palma' cantus certamine proposita eaque ut opinantur non ita facili alteram quandam tangunt sibi faciliorem?

Quid ergo est? Via et ratione disserendi iam eo deducti sumus, ut nihil aliud relinquatur nisi ut illud vocabulum, quod certo certius videtur, *aequalis* — id enim praebent TGO — corruptum esse putemus; quod si ad integritatem restituere volumus, primum illud spectare debemus, ut *parata est* novae quam quaerimus verborum coniunctioni conveniens sit; tum simul alterum, ut siquidem haec pars cantus puellis vere tribuenda est, statim e primo versu has certare clarum fiat. Quaerimus igitur loco corruptae vocis *aequalis* aliud, quo eodem reliqua verba *facilis nobis* .. *palma* suppleantur et coartentur. Attinet igitur uni palmae i. e. victoriae alteram quandam suggerere palmam, quae item nomine suo victoriam ipsam appellet.

Iam nihil in traditis verbis mutari debet, sed ea hoc modo scribenda sunt et distinguenda:

Non facilis nobis e q u a l i s palma parata est,
Aspicite, innuptae, secum ut meditata requirunt.

Ergo illo dicto significant puellae, non facilem sibi illam e qualis

victoriam nunc per imminens certamen institutam sive positam esse. Verba autem *facilis nobis e qualis palma* ita coniunguntur, ut *facilis* attributum sit quod dicunt, non praedicatum. Inseritur autem *nobis* in medio positum, ad *facilis* simul et ad *parata est* referendum, ut saepissime similis collocatio fit in iis pronominibus, ad quae primaria res et actio aliquantum pertinet cf. ex. gr. Baehrensii comment. ad c. 51, 3 sq. — Porro quoniam ‚qualis' puellae describuntur, auget etiam perspicuitatem poeta Romanus addita post allocutione ‚innuptae'.

Iam qui sint illi, qui agant, nec hic, ubi *meditata requirunt,* nec in v. 18, ubi *dicere iam incipient,* additur, quia id per ipsum amoebaeum eius carminis ordinem non modo non necessarium est, sed ne aptum quidem. Idemque fieri in v. 8 *viden ut perniciter exiluere?* et in v. 9 *canent quod visere par est* mox videbimus. Sed ea pendent ab universa carminis dispositione nostris demum quaestionibus firmanda, qua vel ipsa haec atque alia eiusmodi ultro suum lumen recipient.

Sed de „palma" gravior nunc restat quaestio. Quidquid id est, certe hoc apparet illud *e qualis* ad opus muliebre pertinere, per quod ‚palmam' efficere puellis facile sit. ‚Qualum' autem sive ‚qualus', quod vocabulum contractum est e longiore forma *quasulo —, unde vulgares formae ‚quasillum' sive ‚quasillus' ortae sunt (cf. Corssen I² p. 652) simili modo, quo ‚pilum' et ‚toles' e formis ‚*pi(n)sulum' et ‚*to(n)sul —' (cf. O. Keller, *Neue Jahrbb.* 1886, 133 p. 844, 2), graece *κάλαϑος* sive *τάλαρος*, significat vas vimineum, in quo staminis glomus fusis evolutus reponebatur cf. H. Blümner, *Technologie* I p. 117 sq.

Pertinet autem id vasculum ad lanificii opus, quod proprium fuit antiquitus Romanae uxoris sive matris familias; nendi enim et texendi negotia ex vetere more in atrio exercebant cf. J. Marquardt, *Römische Privataltert.* I p. 55; II p. 128, adde notissimum de Lucretia locum apud Liv. I 57. Nominantur ea a Tibullo II. 1, 61—66 *femineus labor* ruri colendus, sicut texendi labor hiemis noctibus exercendus memoratur a Vergilio in georg. I 293 sq. Sed etsi item apud Catullum agrestis scaena et mos significatur, tamen nec neri potest e qualis, nec vulgo texi solent palmae; netur enim in qualos et texuntur a lanificis

feminis non palmae, sed vestes vulgares in domesticum usum. Nec significantur ‚quasillariae', quia id vocabulum proprium fere est servarum vel ancillarum nendi opus exercentium (cf. H. Blümner l. c. I p. 107 sq. 108, 6), sed puellae rusticae et ingenuae.

Porro de ‚toga picta' et de ‚tunica palmata' cogitari nequit. Docent quidem verba Festi p. 209ª, 23 haec: *tunica autem palmata a latitudine clavorum dicebatur, quae nunc a genere picturae appellatur* tunicam illam palmarum signis ornatam fuisse, tamen eorum vestimentorum usus tam singularis fuit, ut eius ornatus ars ad Catulli locum non pertineat. Iovis enim fuit ille ornatus, quo triumphantes honorari solebant (cf. Liv. X 7, 9. 10), sed Gordianus I. demum *palmatam tunicam et togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit, cum ante imperatores etiam vel de Capitolio acciperent vel de Palatio* (cf. Gordiani 4. J. Marquardt, *Handbuch der röm. Alterth.* III 2, p. 448; *Röm. Privatalterth.* II p. 150—152). Omninoque ars acu pingendi sive insuendi apud Romanos non fuit in communi aliquo uxorum puellarumque usu, quod idem de Augusti aetate firmat testimoniis Friedländer I⁶ p. 456 sq., sed ab hoc separata exercebatur aut a certis quibusdam hominum generibus velut a ‚phrygionibus' qui vocantur et ‚plumariis' aut ab ancillis, quae quidem eam profitebantur cf. J. Marquardt, *Röm. Privatalterth.* II p. 149 sq. 146—148. H. Blümner l. c. I p. 209. 211; loci autem scriptorum Romanorum, in quibus ea ars eiusque opera memorantur, ad Graecorum orientisque artem spectant, unde ad Romanos id artis genus demum pervenerat.

Iam vero e qualis palma etiam intexendo effingi potuit, sed ea textilia varietate liciorum effigiata sive sigillata i. e. *Buntwirkerei* maxime graeca arte efficiebantur nec umquam vulgari aliqua puellarum vel uxorum Romanarum. Eam artem ex oriente acceptam, id quod figurarum quoque intextarum genera coarguunt, iam Homericis temporibus feminae callebant, ut Helena *Γ* 125 sq. *μέγαν ἱστὸν ὕφαινεν, . . πολέας δ᾿ ἐνέπασσεν ἀέθλους Τρώων θ᾿ ἱπποδάμων καὶ Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων* et Andromache X 440 sq. *ἱστὸν ὕφαινε μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο* (i. e. in thalamo) . . *ἐν δὲ θρόνα ποικίλ᾿ ἔπασσεν* cf. H. Blümner l. c. I p. 153 sq. Eisdem autem vocabulis ars et insuendi et intexendi variorum

colorum fila nominata est cf. l. c. I p. 154. 208 sq., ut Ovidius in fabula de Arachnes certamine eius artem acu pingendi laudat. Arachne enim, *quam sibi lanificae non cedere laudibus artis audierat* Minerva met. VI 6, vestes faciebat pulcherrimas. Iam si Ovidius varia lanificii genera commemorat in his versibus

19 *Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes*
Seu digitis subigebat opus repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas aequantia tractu,
Sive levi teretem versabat pollice fusum,
Seu pingebat acu, scires a Pallade doctam;

in ultimo versu artem figuras intexendi, non insuendi significari luculentissime apparet e versibus his

53 *Haud mora, consistunt diversis partibus ambae,*
Et gracili geminas intendunt stamine telas.
55 *Tela iugo vincta est, stamen secernit arundo,*
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine dentes.

deinde ex his, quibus Minervae opus artificiosum describitur:

61 *Illic et Tyrium quae purpura sensit aënum*
Texitur, et tenues parvi discriminis umbrae:
. . . .
68 *Illic et lentum filis inmittitur aurum,*
Et vetus in tela deducitur argumentum.

denique e versibus 127 et 128 de Arachne dictis his:

Ultima pars telae tenui circumdata limbo
Nexilibus flores hederis habet intertextos.

Eae autem vestes ita confectae in versu 131 vestes *pictae* nominantur.

Haec autem ars Graecis feminis fuit cognita et usitata; ut pictura scyphi alicuius, qui circa annum a. Chr. 400 effictus dicitur, Penelopam, ante quam Telemachus cum duabus hastis adstitit, adsidentem facit maerore deflexam textili alicui incepto, in quod iam una figurarum alatarum series sive tractus intextus est; is autem positus Penelopes simillimus est iis, qui in signo aliquo nonnullisque anaglyphis repraesentatur, in quibus praeterea sub sella eius κάλαθος sive qualum additum cernitur cf. H. Blüm-

ner l. c. I p. 356 sq. et in A. Baumeisteri *Denkmäler d. kl. A. s. v. Weberei* III p. 2085; picturae exemplum repetitum est e *Mon. Inst.* IX 42.

Tales igitur figurae subtemine inserto efficiebantur cf. l. c. I p. 129. Sed quoniam ab arte aliqua Romanarum puellarum ea ars insuendi aut intexendi palmas nullo modo repeti potest, haec ars ad graecas puellas referenda est, quibus Sappho ipsa ex usu cotidiano et vulgari eam artem tribuit. Quid quod unum saltem fragmentum ex eius carminibus exstat, in quo eius artis mos et consuetudo apparet, ab Hephaestione[2] p. 65 (= fr. 90 B[3]) servatum hoc;

γλύκεια μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκην τὸν ἴστον,
πόθῳ δάμεισα παῖδος βραδίναν δι' Ἀφροδίταν.

κρέκειν autem, unde derivatum est *κροκή*, de subtemine dicitur cf. H. Blümner l. c. I p. 124, qua cum Sapphus puella Horatiana illa Neobule comparanda est c. III 12, cui *qualum, telas, operosaeque Minervae studium* item amor aufert.

Accedit alia causa, cur palmam illam Catullianam intextam, non insutam significari putemus.

In Helenae epithalamio Theocriteo laudantur novae nuptae artes his versibus c. XVIII 32—34:

οὔτε τις ἐκ ταλάρω πανίσδεται ἔργα τοιαῦτα,
οὔτ' ἐνὶ δαιδαλέῳ πυκινώτερον ἄτριον ἱστῷ
κερκίδι συμπλέξασα μακρῶν ἔταμ' ἐκ κελεόντων·

ubi posterioribus duobus versibus ars in firmissimis textilibus conspicua celebratur, quae si perfecta sunt e geminis telis (*ἐκ κελεόντων*) secantur cf. H. Blümner l. c. I p. 148. Nam recte hic vir doctus I p. 144, 1 propriam vocabuli *ἤτριον* notionem ita interpretatur, ut subteminis ad stamen adnexi nodos significet i. e. *Masche, Schlinge*, qui quo artiores fiunt et firmiores, eo firmius efficiunt textile, sed ea primaria notio mox amplificatur in loco Theocriteo per additum illud *μακρῶν ἔταμ' ἐκ κελεόντων* ita, ut per synecdochen ipsum textile totum intellegendum sit.

Huic textilium coloribus figurisque non variatorum generi apponitur apud Theocritum alterum texturae genus. Vetat enim ea ipsa collationis ratio illud *πηνίζεσθαι* ita intellegi: *das Garn*

zum Einschlag abhaspeln und aufwickeln, ut H. Blümner putat I p. 134, 2. Maxime vero verbis ἔργα τοιαῦτα᾽ cogimur id vocabulum, quod a πήνη, non a πηνίον derivatum est, sicut ῥοδανίζειν a ῥοδάνη, στημονίζεσθαι a στήμων (cf. l. c. I p. 124. 125) de artificiosis subteminis inserti operibus interpretari. Locis duobus Euripideis iam l. c. I p. 135 in adn. allatis numerus pluralis πῆναι usurpatur; ex uno loco Hec. v. 471 — nam alter rem non illustrat —, ubi de ornamentis Minervae pepli acu pictis dicitur, ἐν κροκέῳ πέπλῳ ζεύξομαι ... πώλους ἐν δαιδαλέαισι ποικίλλουσ᾽ ἀνθοκρόκοισι πήναις illud quidem apparet, πήνας esse coloribus distincta spatia i. e. *Felder*, in quibus signa acu insuebantur; πηνίζεσθαι igitur inde derivatum significat talia spatia vel in eorum locis ipsas figuras filis subteminis factas. Nam πήνη nihil aliud significare potest nisi filum. Id autem opus fit ἐκ καλάθου i. e. e qualo.

Ergo palma, quam e qualis intexere sciunt puellae, victoriae signum iam tum Sapphus aetate fuit? constat enim in publicis Graecorum ludis praeter coronam palmae quoque praemium Alexandri aetate, cum orientis regionum aditus Graecis patefactus esset, victoribus datum esse cf. A. Kiessling ad Hor. c. I 1, 5. Pertinet huc Pausaniae locus memorabilis VIII 48, 2: οἱ δὲ ἀγῶνες φοίνικος ἔχουσιν οἱ πολλοὶ στέφανον· ἐς δὲ τὴν δεξιάν ἐστι καὶ πανταχοῦ τῷ νικῶντι ἐστιθέμενος φοίνιξ· ἐνομίσθη δὲ ἐπὶ τοιῷδε· Θησέα ἀνακομιζόμενον ἐκ Κρήτης φασὶν ἐν Δήλῳ ἀγῶνα ποιήσασθαι τῷ Ἀπόλλωνι, στεφανοῦν δὲ αὐτὸν τοὺς νικῶντας τῷ φοίνικι· τοῦτο μὲν δὴ ἄρξαι λέγουσιν ἐντεῦθεν. τοῦ δὲ φοίνικος τοῦ ἐν Δήλῳ μνήμην ἐποιήσατο καὶ Ὅμηρος ἐν Ὀδυσσέως ἱκεσίᾳ πρὸς τὴν Ἀλκίνου θυγατέρα [ε 162. 163]. Sed etsi locum, quo in Lesbo Sapphus aetate eum morem obtinuisse probem, afferre non possum, tamen cum palmarum signa in texturis effícta in tanta eius insulae et orientis vicinitate non ita incredibilia videantur, ne ille quidem mos praemiorum ab omni veri similitudine videtur abhorrere. Nam Mycenaea vasa ea, quae maxime eius generis propria sunt, in ornamentorum numero habent cum alias plantas tum palmarum signa, quam arborem ea aetate primum Graeci, qui quidem in oris maritimis habitabant, videntur cognovisse. Ubi talium vasorum

fabricatio facta sit, adhuc disceptatur; nam quod dictum est eam Argolidis propriam fuisse, id ab aliis negatur cf. H. de Rohden in A. Baumeisteri *Denkm. d. kl. A. s. v. Vasenkunde* III p. 1936. 1940. Certe multo ante Sapphus aetatem palmae signum in ornamentis usitatum fuisse constat cf. l. c. p. 1942.

Sed ad aliam quoque rationem decurri potest. Accepimus enim in Pythiis inde ab Ol. 48, 3 victores coronis laureis ornatos esse, cum antea res pretiosae darentur; quae laurus semper e Thessalis Tempe a sacris Apollinis arboribus cum certis quibusdam caerimoniis petebatur cf. Pausan. X 7, 3; reliquos locos v. in Paulyi encyclop. s. v. ‚Pythia'. Quod tum in Pythiis institutum est, ut coronae laureae darentur, id omnino novum et eo usque inauditum fuisse non potest, quia omnis mos iam in usu est, priusquam lege aliqua sanciatur. Iam si sumimus laurum Apollini antiquitus sacram in Lesbo triginta fere annis ante victoriae praemium Sapphus aetate fuisse, cum praeterea de Apollinis solemnibus Mytilenae actis constet e Thucyd. III 3 *Ἀπόλλωνος Μαλόεντος ἔξω τῆς πόλεως ἑορτή, ἐν ᾗ πανδημεὶ Μυτιληναῖοι ἑορτάζουσι* cf. Wilamowitz *Isyllos* p. 99. Meister *D. griech. Diall.* I p. 65 sq., quid huic opinioni ad veritatem deesse putemus?

Quid si Sappho non palmam, sed laurum in puellarum sermone nominavit? cuius in loco reposita est a Catullo palma, quae maxime Romanis scriptoribus victoriae simulacrum erat, ut per se ipsum id vocabulum pro victoriae notione populari consuetudine usurparetur. Vetustus enim fuit apud Romanos palmarum usus anno a. u. 459 in civitatem receptus: *palmae tum primum* — inquit Livius X. 47, 3 — *translato e Graecia more victoribus* [ludorum circensium] *datae.* Eius notionis vicem implet *laurus triumphalis*, qua Apollo ipse *devinctus tempora* a Tibullo II. 5, 5 appellatur. Daphnae Penei Thessalici filiae mutatae deus apud Ovidium in met. I 558 sqq. dixit:

. . *Arbor eris certe mea. Semper habebunt*
Te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae.
Tu ducibus Latiis aderis, cum laeta triumphum
Vox canet et visent longas Capitolia pompas.

Sed utra opinio verior sit etsi dubium videri possit, ego tamen nequaquam dubitandum esse statui, quin *palmam* Catullus

a Sappho ipsa transtulerit. Id potuisse fieri supra evictum puto, sed ut reapse id factum esse iudicem, illud me maxime commovet, quod mox videbimus Catullum non in totius carminis tantum consilio et compositione, sed in singulis rebus nec minus in ipso sermone figurando Sapphus inventa cum cura rettulisse. Porro, sicut de Hespero novam scientiam consulto usurpatam fuisse a Sappho infra cognoscemus in v. 34 sq., item iure suspicari licet palmam tum apud Lesbios recens fuisse victoriae signum paullo ante eam aetatem usu publico receptum.

Iam denuo ad versum Catullianum respiciamus. Puellae igitur Lesbiae Sapphus peritae artis palmam i. e. vel arborem vel surculum arboris stamini intexendi, siquidem palmae nomen ad ipsam victoriam denotandam iam tum translatum fuit, hoc dicunt: nunc non parata est facilis nobis e qualis victoria, quam quidem arte nostra muliebri facile assequamur; quam sententiam Catullus locutione *e qualis* prius collocata non sine aliqua arte effecit. Nos imitari possumus eam notionis non ambiguitatem — haec enim nulla est — sed duplicitatem quandam dicendam, cum reponimus simili cum translatione ‚lorbeer’, ‚kranz’, ‚palme’. Nam si illae dicunt non iam agi facilem illam e qualis palmam, tamen ultro in hac ipsa oppositione mera victoriae notio sine ulla sermonis violentia excitatur, quia latina vox ‚palma’ non modo simulacrum est victoriae, sed ipsam victoriam nomine suo appellat.

Quoniam puellis hic locus redditus est, etiam singulis locutionibus sua est reddenda notio et vis. Iuvenes igitur, non puellae, nunc *secum meditata requirunt* i. e. ‚perpensa ac praeparata’; affert K. P. Schulze in *Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen* 1877 p. 703 Taciti annalium locum XIV 55 *meditatae orationi*, alios Baehrens in commentario. — Nunc denuo quaerunt sive revocare student, ut glossarium balliolense id vocabulum *requirunt* inter paucissima Catulliana receptum, quod L. Schwabe, *N. Jahrbb.* 1885 p. 803 ad hunc locum rettulit, recte interpretatur ‚requirunt: in memoriam revocant’; non recte describit eam vim Baehrens ‚dum ali(us) ex ali(o) quaerit, quid argumenti ad canendum excogitaverit adferatque’ — hoc enim sero nunc fieret. Certi enim sunt et communes quidam loci, qui in talibus cantile-

nis popularibus tractantur, quod maxime in carminibus nuptialibus antiquitus ubique usitatis fieri debebat. Sed eam ipsam ob causam fieri omnino poterat, ut talia certamina sive instituerentur sive cum veritate a poetis instituta fingerentur. — Mox *meditantur* i. e. ‚omnes simul iam deliberare cantum aptum … dicuntur' sive parare; iam *habent* i. e. ‚repperere' sive tenent *memorabile quod sit* i. e. gravius aliquid et memoratu dignum. Ediscendi autem sive memoriae mandandi vim, de qua Riese cogitat, non habet id vocabulum.

Versus 14 in libro T servatus, qui vindicatus quondam a M. Hauptio in qu. Cat. p. 35 sq. (= op. I p. 26) nunc ab omnibus in textum receptus est, sic legitur:

Nec mirum penitus quae tota mente laborant.

Nam quod Naeke aliique hunc versum pro spurio damnaverunt, quibus assensus est O. Franke l. c. p. 44, id alio nullo studio nisi responsionis restituendae factum est, ut octonarius versuum 59—66 numerus — nam hunc locum in libris integrum praeberi uterque putat — responderet versibus 11—19, hoc uno deleto cf. l. c. p. 47 sq.

Iuvenes igitur penitus tota mente laborant. Sed illud *quae,* quia puellae subintellegi iam non possunt, neque cum indicativo neque cum coniunctivo iunctum tolerari potest; nihil enim valet neque congruit cum singulari numero *quod* in versu priore. Ergo id vocabulum emendatione eget.

Tribus praeterea locis his apud Catullum ‚nec (neque) mirum' extat ubique eadem notione collocatione iunctura usurpatum, in c. XXIII 5 sqq. ad Furium derecto:

Est pulcre tibi cum tuo parente
Et cum coniuge lignea parentis:
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulcre concoquitis, nihil timetis

in c. LXIX, 7 sq. de capro sive hirco:

Hunc metuunt omnes: neque mirum: nam male valde est
Bestia, nec quicum bella puella cubet.

in c. LVII 1 sqq.

Pulcre convenit improbis cinaedis,
Mamurrae pathicoque Caesarique:

Nec mirum: maculae paris utrisque,
Urbana altera et illa formiana,
Impressae resident nec eluentur:

Sic enuntiata distinguenda esse puto, vulgo post priorem partem plena fit distinctio. Nam ea formula sive per ‚nam' cum sequentibus coniungitur sive per asyndeton, quod vocant, explicativum (cf. Baehrens ad c. XXIII 7), inseritur tantum tamquam parenthetice, si iam earum rerum infertur memoria, quae priorem sententiam explicant. Item quidquid sub corrupta voce ‚quae' latet, his verbis:

penitus quae tota mente laborant

explicatur quod de iuvenibus antecesserat hoc:

habent memorabile quod sit

intercedente formula *nec mirum*. Nec aliter id fit in loco Ciceronis plane congruenti huic Catulliano. Ibi in criminibus ab Erucio contra Sex. Roscium prolatis sive quae proferri possent, haec Cicero 18, 52 posuit: ‚*domum suam istum fere non quisquam vocabat': nec mirum, qui neque in urbe viveret neque revocaturus esset.*

Documento igitur est puellis iuvenes memorabile aliquid habere, quod hos tota mente laborantes conspiciunt; hinc ex ea laboratione illud per se apparet. Unde efficitur ‚quae' non in ‚quod', sed in ‚quom' mutandum esse. Causa quidem indicatur per ‚quod' non minus quam per ‚quom'. Tamen differentiam satis acrem esse inter has duas coniunctiones nemo infitiabitur. Is enim qui coniunctione ‚quod' utitur, eam actionem per ‚quod' illatam ipse demum causam appellare vult eius iudicii, quod altero tulit enuntiato. Nam per coniunctionem ‚quod' nihil ipsum apparet, sed tantum apparere aliquid dicitur; contra coniunctionis ‚quom' ea esse potest vis, ut illud priore loco positum ex his quae per ‚quom' adnectuntur vel potius in his ipsis cognoscatur sive cernatur; qua vi persaepe alibi a viris doctis non cognita expletur demum huius loci sententia. Satis habeo hic addidisse in talibus enuntiatis saepe causae notionem per se adiunctam videri, unde hic quoque non est necessarium reponi ‚*quom . . laborent*'. Quamquam erant qui scriberent ‚*quae* (i. e. cum eae sc. puellae) . . *laborent*'. Immo coniunctivum mo-

dum illi „quom' hic nullo modo aptum esse iudico; sed de eius coniunctionis notione et constructione plenius disserendi nullus est in hac quaestione locus; nonnulla infra proponemus, ampliora singulari destinavimus libello.

Omitti solet in ea formula „nec mirum' verbum *est*, de quo usu vide Ritschelii disputationes a Baehrensio in proleg. p. 49 allatas et Lachmannum ad Lucret. p. 313. Catullus in quibusdam tantum locutionibus illud „est' omisit cf. K. P. Schulze, *Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen* 1877 p. 697, velut in v. 3 dicit *surgere iam tempus*, de quo loco posthac disseretur.

Nos — ita cum aliqua oppositione nunc post puellarum orationem appellat suos sodales unus e iuvenibus in versu 15 — intentionem *divisimus* nostram, simul enim mentes nostrae occupantur in aliis rebus i. e. in iis quae dicturi sumus, in aliis nostrae aures i. e. in iis audiendis, quae puellae cantant, et, ut Ovidiana dictione utar, momenta sumunt utroque:

Nos alio mentes, alio divisimus aures:

Non est igitur *alio .. alio* „repetitio mere rhetorica', qua mentes et aures significentur pro toto animo. Primum enim tales nugae rhetoricae a Catullo alienissimae sunt, tum quod nos contra dicente Baehrensio ad h. l. de harum vocum interpretatione posuimus, id posthac ubi de versibus 6—10 disseremus, etiam denuo firmabitur.

Quod igitur puellae de iuvenibus metuunt, cf. v. 11—14, idem hi in puellis, dum uterque chorus ad certamen se parat, cum cura quadam suspicantur cf. v. 15—18. Iuvenes enim iam se parantes taciti et intenti videntur tamquam in meditando occupati, quod nisi significatum esset a puellis, prorsus inane esset et ineptum illud, quod hi de sua ipsorum neglegentia fatentur, quia eius dicti deesset omnis causa et vis. Ac rursus illa puellarum opinio sive metus explicationem suam habet meditationis specie, quam iuvenes praebuisse horum ipsorum verbis proditur. Ita nihil in his versibus non est explicatum aut sine causa aliqua effictum excogitatumque, ut et actio et agentium opiniones se ipsae carminis cum progressu declarent, dum venusta cum oppositione puellarum iuvenumque et metus et studia inter se contraria referuntur.

Illa autem exhortatio, qua ut nunc saltem ad rem intenti sint iuvenes monentur, a L. Müllero aliisque sic exhibetur in versu 17:

Quare nunc animos saltem convertite vestros,

qua in locutione certe eius rei abesse non potest significatio, ad quam animos intendere debeant. Quod quidem A. Rieseum non fugit, sed primum male supplevit ‚ad rem', deinde temere illud ‚convertite' contrariam habere notionem ‚dividendi' notioni opinatur. Sed illud ‚*convertite*' a codice T praebitum, quod ubi primum per M. Hauptium in quaest. Cat. p. 28 innotuit, et ipse et multi post eum probaverunt, non potest a Catullo scriptum esse. Neque comprobatur talis eius verbi usus loco Lucretiano IV 1064 L (= 1056 B), qui quondam ad eum firmandum allatus est — ibi enim dicitur *alio convertere mentem* — neque ullo alio loco. Ac recte id quoque Baehrens sensit, tamen quod ipse suspicatur ex glossa aliqua provenisse illud *saltem*, quoniam *committite* — haec erat codicis V lectio — iusto sensu careat, potius hoc dici debet id vocabulum verissimum esse et ad huius loci sententiam aptissimum.

Duo enim vocabula origine diversa in unam formam coaluerunt, quorum unum ortum est e prisca forma ‚cosmittere', i. e. ‚in unum iungere' sc. duas res separatas; quod vocabulum recte iam W. Corssen *Krit. Beiträge* p. 431 sq. e ‚cos' — et ‚mittere' compositum dicit, non e ‚co' — et ‚smittere' nescio quo. Commemoratur ea forma a Paulo Festi s. v. *dusmo* p. 67, 8: *antiqui enim interserebant s litteram et dicebant cosmittere pro committere.* Propagatum autem est ‚cos-' a ‚cō—', non a cŏm—, quod certis quibusdam causis hic addo, ut ‚ex' ab ‚ec', ‚dis—' a ‚di—', ab—s, su—s, ci—s, ul—s.

Alterum autem vocabulum committere aliquid = ‚verüben, begehen' et committere alicui aliquid = ‚jemandem etwas anvertrauen, überlassen' per ‚com—' (= got. ga—) compositum cum ‚mittere' significat ‚mittere cum vi perfectiva', ut aiunt grammaticae slavicae auctores. Eam enim vim praefixa syllaba ‚com—' verbo reddit simplici omninoque is locus de notionibus et simplicium et compositorum, quae quidem perfectivam suscipiunt notionem, verborum tam longe lateque patet, ut quoniam in-

cognitus fere est plerisque philologis, hic illud tantum posuisse satis habeam, in lingua latina huic notioni inservire praefixum ‚com—'. Sed quae genera sint eius notionis et quae sit origo, ne perstringere quidem mihi nunc licet, minime in hoc loco. Res tamen certa est mihique explorata. Pertinet huc caput illud gravissimae copiosissimaeque doctrinae plenum in Miklosichii grammat. IV p. 274—340, qui non recte p. 291 dicit: *Das lateinische bietet wenig vergleichbares dar.* Adde C. W. Smithii libellum academ. Kopenhagen. a. 1875 ed. de verbis imperfectivis et perfectivis in linguis Slavonicis, qui graeca quaedam comparat latina lingua omissa.

Sed enim committendi vocabulum a Catullo hic usurpatum originem habet illam priore loco indicatam. Dicunt igitur iuvenes, quoniam mentes et aures in diversas partes divisae fuerint, *nunc saltem* — haec enim verba coniungenda esse, non *animos saltem* recte monuit K. P. Schulze in *Ztschr. f. d. Gymnasialw.* 1877 p. 703 — has animi partes committendas i. e. in unum coniungendas sive conciliandas esse i. e. *sich zusammennehmen*, ut una sit et indivisa intentio, quae antea disiuncta sive separata fuerit in duas partes. ‚Committuntur' enim aut diversae et disiunctae partes eiusdem generis velut ‚mali' apud Caesarem b. g. VII 22, 5 ‚munimenta' cf. Liv. XXXVIII 4, 8: *per nondum commissa inter se munimenta urbem intrare,* porro cum significatione rei a duabus partibus effectae ‚proelia' ‚bella' ‚sermones' ‚iudicia' ‚spectacula' aliae res satis multae; aut ‚committuntur' discrepantes partes incongrua natura, velut ‚vir et equus' ‚homo et serpens' cf. Ovid. met. XII 478. IV 570 sq.

Nova est ea locutio Catulliana neque alibi invenitur, tamen cum a contraria *dividendi* notione, quae antecesserat in v. 15, deposcatur et *committendi* verbi usui ac notioni conveniens sit, recta est nec minus genuina quam supra allatae vel proterva illa ac non minus singularis Martialis I 90, 7 vel Senecae in anthol. lat. 71, 7 sq. B.:

Idem commisit longo duo litora ponte
Xerxes, et fecit per mare miles iter.

Hinc igitur per se apparet *committere animos* de ineundo certamine, quod quidem Haupt opinabatur in qu. Catull. p. 28, dici omnino non posse, quoniam *animi* certamen significare non

possunt. Nam quia certamen parabant iuvenes, iam dudum animos commissos sive collectos habere debebant, sed cum id neglexissent, tunc saltem id iis faciendum erat. Id quidem recte, sed parum concinne ut solet K. Pleitner l. c. p. 67 exposuit, qui si coniecit in v. 15 ‚dimisimus' inconsiderate id fecit, quia huic locutioni non *committere animos* contrarium esset, sed ‚recipere' vel simile vocabulum, quod hic intellegi non posset.

Hinc tandem devenimus ad initium carminis cuius de ordine quid statuendum sit, nisi posterioris partis restitutione recte et feliciter effecta satis luculenter et ad persuadendum accommodate explanari non poterit.

Versus autem 1—10 sic proposuit L. Schwabe:

Vesper adest: iuvenes, consurgite: vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pinguis linquere mensas:
Iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra:
Nimirum oetaeos ostendit noctifer ignes.
Sic certest: viden ut perniciter exiluere?
Non temere exiluere: canent quod vincere par est.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Ac primum quidem, ne duae strophae continuo inter se excipientes puellis tribuantur, illud per se manifestum nunc fit, stare non posse nostram divisionem, nisi versuum 6—9 duo posteriores 8 et 9 iuvenum, priores duo 6 et 7 puellarum sunt, quae eadem distributio item ordine non sine iusta causa inverso in versibus 1—4 fieri debet.

Eadem enim persona, quae versu 6 hoc:

Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra

suam turbam hortatur, non potest mox pergere in versu 8 his verbis:

Sic certest; viden ut perniciter exiluere?

Baehrensii horum versuum interpretatio infelicissima est nec firmatur sermonis usu aut verborum nexu. Graviter, inquit, repetitur *viden ut perniciter exiluere?* nam ipse proponit hanc lectionem:

Cernitis, innuptae, iuvenes consurgere terra?

Sed talis repetitio non est gravis, sed vere inepta. Quid enim? siquidem primum ille qui loquitur iuvenes in v. 1 hortatur *consurgite,* iterum hortatur in v. 3 *surgere iam tempus,* porro si denuo in versu 6 puellae *iuvenes consurgere terra* monent, haec ter repetita huic viro doctissimo adeo satisfacere non potuerunt, ut insuper postularet aliquam 'gravem' repetitionem, qua denuo admonitae viderent eos *perniciter exiluisse?*

Porro ne illud quidem verum est puellas verbis *sic certest* confirmationem suam cum vi repetere gradationemque inesse voci *perniciter.* Nam si ea locutio in c. LXXX 7 suum habet locum, hic si ita interpretemur habet omnino nullum. Ibi enim in his versibus

Nescio quid certe est: an vere fama susurrat
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe est: clamant Victoris rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata sero.

praecedit de Gellii fellatoris mollitia in v. 5 *nescio quid certe est* i. e. 'habet res mira certe suam causam, quamquam nondum scio, quam habeat' — ut apte Baehrens explicat —; sequitur eius suspicionis significatio per interrogationem in v. 5 et 6 facta *an vere fama susurrat ...?,* tum res adfirmatur in v. 6 *sic certe est,* nam argumentum firmum praesto est. Ea autem de re aliqua suspicio, quae specie aliqua eius rei excitata fuerit, ut illic excitata est, hic in c. LXII v. 8 non exstat, sed res certissima est neque coniectura opus est.

Quodsi versus 6 et 7 puellarum sunt, versus autem 8 et 9 iuvenum, necessarium est primos quoque quattuor versus inter iuvenes et puellas distribuere. Iam quae sunt partes actionis hac variata versuum singulorum responsione effectae?

Ac primum quidem satis constat carmini amoebaeo, quo inter utrosque certatur, antecedere prooemium aliquod, quo id inter duos choros certamen paratur. Eius autem prooemii ea est ars, ut scaena et actio ipsis agentium sermonibus inter se collatis et oppositis sine ulla violentia a poeta plene repraesentetur. Sed de singulorum verborum vel locorum interpretatione videndus est imprimis Baehrensii commentarius doctrinae plenus; nos plerum-

que nostra tantum et quae ad nostram sententiam obtinendam necessaria videantur hic afferemus.

Stella vespertina effulget, tum unus e iuvenibus socios, qui cum impatientia quadam, quam cumulata verba *expectata diu vix tandem* satis produnt, eius ortum acerrime exspectaverunt, ut consurgant hortatur in v. 1 et 2. Unde consurgant et quid agant, proximis duobus versibus declaratur; nam prorsus eodem modo nec tamen per iuvenes commotae — ita enim rem se habere apparebit — una ex innuptis dicit ad amicas suas conversa in v. 3 et 4:

Surgere iam tempus,

a mensis i. e. tempestivum est, quia satis diu sedimus — nam id significari infra exemplis docebitur —; statim enim pergit ita:

iam pingues linquere mensas,
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.

Tempus igitur vespertinum significatur, indicatur mos epuli, nuntiatur exspectatus novae nuptae adventus. Nempe his exhortationibus, a quibus carminis initium sumitur, interrumpuntur sermones, quos iuvenes inter se et puellae huc usque produxerunt.

Iuvenes autem e mariti animo dicunt; contra virgo, ut est consentaneum, a puellis indicatur. Uterque igitur chorus partes suas ita sustinet, ut puellae et iuvenes ex aequo et pari iure singula totius actionis, cui utrique destinati sunt, momenta efficiant, quibus in partibus distribuendis ipsa ars poetae cernitur.

Actionis autem initium facit uterque chorus per interpretem suum sua sponte altero non respecto, ut certamen per se ipsum fere nascens et accrescens conspiciatur, non iam ab initio omnibus partibus aliena opera dispositum; nam in versu 3 innuptae alterius iuvenum interpretis verba non exaudita non respiciunt; hoc tantum fit poetae arte subtili, qui personis suas partes consulto dedit, sed non ita violente, ut consilium illud moleste sentiretur. Communis autem est versus intercalaris utrisque in his et sequentibus strophis, quae certamen ipsum antecedunt, et ab utrisque cantatur.

Notabilis est in hac dispositione differentia vocabulorum ‚consurgere' et ‚surgere', de qua supra p. 26 sq. significavimus. Accurata vero notionum utriusque verbi et simplicis et compositi

interpretatio id ipsum denuo confirmat, quod posui, in initio quidem alterum chorum alterius verba non respicere. ‚Consurgere' igitur denotat voluntariam quandam et singularem actionem, ‚surgere' et ‚linquere mensas' vulgarem et communem morem e. c., qui cena peracta vel tempore solito obtinet. Eae autem in verbis simplicibus et in verbis per ‚com-' compositis notionum diversitates, etsi semper ad unam eandem ac primariam differentiam redeunt, tamen pro rei cuiusque quae agitur varietate ipsae variantur. Eandem vero in hac usus diversitate stabilitatem et constantiam omnes bonae antiquitatis scriptores et poetas sustentatam praebere id quidem, quamquam ipsa horum omnium cognitione non edoctus, tamen satis idonea notitia adiutus firmoque certarum rationum praesidio innixus iure meo fidenter confirmare ausim. Neque vero exempla, quae innumerabilia fere sunt, deficiunt eam sermonis legem, sed eius legis distinctio et ratio ab ipsa huius particulae com- origine tracta, ad quam legem non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti erant Romani, illis quidem in interpretandis iis quae sentiebant cogitabantque recta ultro imperabat, sed non prohibebat contrarios in interpretatione nostratium hominum errores. Vulgaris fuit et popularis mos, quem Romanorum poetae comici maxime ita secutos esse consentaneum est, ut multa adhiberent vocabula, quae postea e communi litterarum usu recedebant. Sed id quidem hic ponere liceat praefixam illam particulam com- (con-) nec per originem nec per notionis proprietatem omnino quidquam commune habere cum praepositione ‚cum', quae vulgo eadem esse vox atque illa creditur. Luculentissime igitur ea ‚surgendi' et ‚consurgendi' differentia eminet in Aeneidis loco VIII 109 sq. iam ab interpretibus allato. Intervenit ibi cum suis Aeneas sacris, quae Euander rex cum Pallante filio iuvenum primoribus senatuque Herculi faciebat;

109 *Terrentur visu subito, cunctique relictis*
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse.

Relinquunt igitur mensas et consurgunt ante iustum tempus, dum rumpunt sacra, quoniam — ut recte monuit Baehrens — ‚linquere mensam' proprie dicitur de eis, qui cena peracta consurgunt. Iam vero patet apud Catullum illud vocabulum *consur-*

gite non ad cenam ante tempus relictam pertinere, quia iuvenum quoque dapes peractae finguntur, sed notari maxime eam actionem, quae voluntaria et singulari admonitione unius alicuius semel suscepta fit, ubi vesperum effulgentem vidit; *surgere* autem simplicem actionem denotat, quae e communi fit consuetudine et una aliqua est e solitis actionibus; non igitur ea actio pendet a iuvenum actione.

Iam vero sequenti stropha actio promovetur ita, ut alter alterum chorum respicere iam incipiat. Atque eius rei signa et indicia in ipsis cantantium verbis posita conspicua sunt et manifesta.

Puellae enim iam iuvenum actione animadversa et concentu audito, ut par est, actionem excipiunt et continuant. Nihil autem ad hanc rem aptius est quam illud in v. 6 dictum:

Cernitis, innuptae, iuvenes?

sc. quid agant, et quia illi consurrexerunt, hae dicunt: proinde *consurgite contra.* Haec enim scriptura codicis V vere Catulliana est. Habet autem codex T, ut monstrat tabula XIV Aem. Chatelanii in palaeographia classic. latin. *consurgi eretera,* non quod magis commodum Baehrensio erat (cf. comm. p. 323) *consurg i eretera.* Iure quidem is *consurgere contra* reicit, quod codices interpolati praebent, sed quid rerum conexu postuletur ipse insciens arguit, cum his verbis aliquam prodit dubitationem de veritate eius scripturae: ‚non adulescentes consurgunt contra, sed iam puellae (quamquam hoc vix mentione indiget)'. Id vero sane commemorandum erat neque ex silentio tantum colligi debebat. Tum, quoniam antea monitum erat *surgere iam tempus* esse, commonetur nunc ut *consurgant.* Ita demum omnia apte inter se congruunt. *Nimirum* — quo vocabulo in initio sequentis versus 7 collocato veram causam actionis demonstrant nunc puellae quoque — cum iuvenes consurrexisse viderint, spectantes caelum ipsae nunc demum puellae noctiferum Hesperum conspiciunt. Id iam Pleitner l. c. p. 64 sq. commemoravit.

Iam si versus 6 et 7 indicant id effici, quod effici propter versus 1 et 2 nos exspectamus, idem fieri videbis in versibus 8 et 9, si contuleris res indicatas cum versibus 3 et 4. *Sic certest* igitur referendum est ad id, quod una ex puellis pro omnibus dixerat, iam venturam esse virginem, iam dictum iri Hymenaeum. Verbis autem continuo insequentibus

viden ut perniciter exiluere?

confirmatur illud puellas quoque surrexisse, certe — ut opinari licet iuvenibus — non sine aliqua causa.

Puellae igitur iam (v. 9)

canent quod visere par est.

Eas cantaturas esse i. e. certamen incepturas esse exspectare nunc licet; sed cur? aut qua re commotas?

Dubium enim videtur, utrum illud *quod* coniunctio sit an relativum pronomen. Ac sive hac notione sive illa acceperis, traditam scripturam, inquit Baehrens, nemo defendit praeter Ellisium, qui male interpretatur ‚quod dignum est quod respiciatur'. Alter tamen nuper accessit, qui eam defendebat, ‚Lupulus' quidam, cui placuit aliquando ut in re tam levi incognito nomine in publicum prodire cf. *Archiv für lat. Lexikogr.* III p. 561 sq., qui similiter explicat *aufmerken auf.*

Sed mirum videri debet illud, quod sane mirabatur Pleitner l. c. p. 63, non mirati sunt alii. Etsi enim novae nuptae adventus indicatus est in v. 4 non ‚sollemnibus' quidem, at certe disertis verbis, cuius propter adventum exspectatum utrimque mensae linquuntur, nusquam tamen ea advenisse dicitur. Quid? hymenaeus primum denuntiatur in deductione nuptae dicendus, tum ipse dicitur per certamen, nec tamen adest nupta, cuius in honorem omnia parantur? Porro certamen finitur atque in ipso exitu poematis nova nupta admonetur ut praesens, neque usquam antea fit eius adventus mentio. Iam qui nihil cogitaverunt interpretes per vagae cogitationis licentiam quandam inlicitam ipsi finxerunt eum adventum nusquam commemoratum vere accidisse, velut nuper quoque non miratus hanc poetae inscitiam Bonin l. c. p. 8.

Nimirum omnes undique quotquot sunt interpretes *par est* intellegunt ‚convenit' sive ‚aequum est'. Ac nullis coniecturis, quae multae tentatae sunt, id assequi potuerunt viri docti, quod revera quasi festivi alicuius aenigmatis speciem prae se fert. Nempe *par* est nihil aliud nisi coniugum par novum sive maritus cum nova nupta, quod ut commune vocabulum exhibent Cicero de opt. gen. or. § 17 *gladiatorum par nobilissimum,* Phil. XI 2 *geminum in scelere par,* Lael. 4, 15 *tria aut quattuor paria*

amicorum, Ovidius met. XIII 833 *par columbarum,* Horatius sat. II 3, 243 *par nobile fratrum,* alii. Verbum autem *est* cum infinitivo generis et activi et passivi coniungi satis notum est maxime e poetarum usu cf. Draeger, *Hist. Synt.* II[2] p. 302 sq. E. Hauler, *Archiv für lat. Lexikogr.* III p. 537 sq. Hoerle de casuum usu Propertiano (diss. Halens. 1887) p. 39.

Atque ad Catullianum locum idonea videri potest cum aliorum tum Hauleri interpretatio eius constructionis per ‚licet, potest, ἔστιν, ἔξεστιν' descripta, quamquam eius origo altius ab infinitivi natura ac vi propria repetenda est, ut omnium notionum, quae in ea structura e locorum varietate evadunt, plena fiat cognitio et explanatio. Sed haec nunc omittenda sunt.

Sed imprimis aptum est huic loco vocabulum visendi. Quod enim Fabri bene monuit ad Sallust. Catil. 61, 8, *visere* significare curam quandam ac diligentiam spectandi, id permultis locis comprobatur velut Nep. Alcib. 6: *tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis,* Cic. Tusc. V 3, 9 de totius Graeciae celebritate in ludis solita significavit *quoddam genus eorum, qui nec plausum nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent studioseque perspicerent quid ageretur et quo modo.* Adde Tac. ann. II 54: *atque illum* (= Germanicum) *in regressu sacra Samothracum visere nitentem obvii aquilones depulere* et II 60: *mox visit veterum Thebarum magna vestigia.* Describit autem Schmidt *Handb. der lat. u. griech. Synonymik* 1889 p. 620 sq. notionem eius vocabuli primum sic: *schauen, ansehen, um sich an dem Anblick zu erfreuen;* deinde *zusehen* et *sich erkundigen.*

Igitur priusquam carmen amoebaeum initur, actioni ipsi quae praecedit nihil iam deest, nisi ut par illud, cuius ad nuptias alterna carmina pertinent, ipsum adsit. Iam igitur illud in conspectum venisse puellis in versu 9 iuvenes coniciunt; ita adventu indicato vel potius appropinquatione, ubi puellae ad certamen se paraverunt v. 11—14, deinceps iuvenes dicentes extremum illud addunt de puellis in v. 18:

Dicere iam incipient, iam respondere decebit.

Puellae ut inciperent carmen amoebaeum exceptae deinde a iuvenibus, poeta artificiose sed inaffectata arte effecit. Recte illud quoque animadvertit Bonin l. c. p. 17: *Die Hast, mit der die Vor-*

bereitungen auf beiden Seiten getroffen werden, malt sich sehr schön in den kurzen, meistens nur einen halben Vers langen und asyndetisch aneinander gereihten Sätzen.

Ac denuo hoc loco commemorandum est, per totum prooemium singulis locis statim primo quoque versu indiciis quibusdam certis perspicuum fieri, utra pars dicere incipiat.

II.

Disputationem quae proxime praecessit, separatam a ceteris quaestionibus praemisi de totius carminis ordine, ne iis impedimentis oneraretur, quae nonnullorum locorum aliarumque rerum, quae adiungendae viderentur, afferebat interpretatio Sed quoniam positis fundamentis aditum munivi ad hoc carmen verius quam factum est intellegendum, iam ei quoque quod de huius carminis origine fero iudicio nova ex interpretatione praesidia paravisse mihi videor.

Atque, ut ait Ad. Kiessling in ind. lect. Gryphiswald. 1877 p. 4 cum Useneri auctoritate consentiens, grammaticae artis rationes quantumvis tenui filo errabunda interpretum vestigia regere debent. Quod Usener dixit omnino unam esse interpretationis rationem eam quae arte grammatica nitatur, idem F. A. Wolf, quem ut auctorem et statorem philologiae colimus, his fere verbis significavit: *der Context will jedesmal erst aus wohlbegründeter Worterklärung entwickelt sein, nicht diese aus jenem. Das Deuteln aus dem bloßen Context ist ein leidiges Nothmittel der Dolmetscherei, das hie und da zu einem ungefähren Sinne verhilft, und bei manchem Schriftsteller gute Dienste leisten mag* (Kl. Schr. II p. 1123 B.). Has igitur rationes sicut in superiore capite item in hoc sequendas esse duxi.

In versu 1 sq. hoc

Vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

dubitatur de casus *Olympo* ratione, utrum ‚ablativus' sit an dativus.

Sed qui de communi aliquo ‚ablativi' usu loquitur, nihil

dicit, quod is nullus est; item qui ‚ablativum loci’ statuit, non minus nugatur. Estne is locus, quo aliquid derigitur an ubi versatur an per quem agitur? Omninoque etsi ‚ablativus’ casus trium casuum vices tenere vulgo dicitur cf. Draeger, *histor. Syntax der lat. Spr.* I² p. 494 sq. Kuehner, *ausf. Gramm. der lat. Spr.* II p. 256 sq., tamen ‚ablativi’ proprii et ‚instrumentalis’, qui barbare dicitur, et ‚localis’, qui falso itemque barbare ‚locativus’ nominatur, ordines et gradus nemo, ne ille quidem qui syntaxis latinae historiam professus est, ita persecutus est, ut haec tria usus genera per omnes partes ex ipsorum origine et indole acriter distingueret et variatas cuiusque generis species recte inter se conecteret; immo distrahuntur vulgo grammatistarum violentis ‚regulis’ ea, quae natura sua arte cohaerent. Satis apte eius casus rationes persecutus est Guilelmus Ebrard in dissertatione, quae est de ablativi locativi instrumentalis apud priscos scriptores latinos usu, 1879 in suppl. annal. philol. X p. 575—657 inserta inprimis B. Delbrueckii exemplum secutus, sed tum quidem proprietates quaedam eius usus non satis intellectae neglectae sunt. Studui nuper ipse eas usus diversitates ac varietates, ut constans eius disciplinae ratio esset, ad nativum suum ordinem redigere in syntaxi latina § 20 sqq., ubi Delbrueckii rationes a. 1867 propositas ita secutus sum, ut nonnullas earum vel supplerem vel immutarem; tamen propter eos, quorum commodo is libellus destinatus est, singula usus genera significavi tantum, sed etiam nunc post I. H. Schmalzii rationes de ‚ablativi’ natura institutas mearum rationum me non paenitet, quae in libelli scholastici angustiis et obscuritate facilius latent quam patent.

Ac totius eius doctrinae unus aliquis error latissime divulgatus in eius casus principiis explicandis versatur, quem ‚instrumentalem’ vocant. Ut Riese in Catulli c. XVII 9

Ire praecipitem in lutum per caputque pedesque

de rarissimo nescio quo praepositionis *per* ‚instrumentali’ usu cogitat; quam vim ‚*per*’ nec habuit umquam nec hic habet, ubi — nam in unam fere notionem coalescunt ‚caputque pedesque’ sicut actiones verborum in V 4: ‚soles occidere et redire possunt’ — de toto corpore dicitur, ut de Sipylo sagitta transfixo

apud Ovidium in met. VI 237 *ille, ut erat pronus, per colla admissa iubasque volvitur* sc. equi. Nam casus ille a principio non tam ad instrumentum pertinet quo quid agitur, sed potius ad res vel personas, quae necessaria aliqua communione naturae, moris, consuetudinis cum actione, quae additur, coniunctae cernuntur, quam quidem distinctionem scioli, dum ‚sociativum' casum appellant, saepe quidem iactant maxime in lingua graeca, non tamen in latina explicanda ullo modo proposuerunt sive adhibuerunt, quia rationes eius casus male cognitas apud Romanos reperire nusquam potuerunt.

Ab ea huius casus notione unum profectum est usus genus, persaepe non intellectum aut non agnitum, quod primus quantum scio vir summus Madvig, sed nimis anguste definivit *Lat. Sprachlehre*^{3} § 273^{c} et § 274. Id enim ‚ablativi' genus pertinet ad eum locum sive id spatium, per quod diffusa sive aequabiliter permeans actio aliqua fit. Inde ab hoc viro exceptum comprobaverunt alii, sed perpauci praeceptum illud grammaticum in scriptorum oratione interpretanda tenuerunt, cui adeo non fidebant homines multi et increduli, qui in rebus grammaticis saepe incredibilibus et insanis regulis fidem habebant, ut plerumque neglegeretur. Quod quomodo cum reliquis ‚ablativi' notionibus coniunctum sit, omnino ut apud M. Seyfferti asseclas viri honestissimi optimeque de institutione puerili meriti aut in obscuro relinquitur aut perverse explicatur. Quid quod subiungitur ea linguae consuetudo capiti miro, quod Draeger l. c. I^{2} p. 519 *Ablativus der Ortsruhe* inscripsit, in quo semina non bene iunctarum rerum congesta iacent, nec rectius Kuehner laudabilis alioqui artis grammaticae auctor eam tractavit l. c. p. 259, quoniam multo latius quam hic opinatur is locus patet et ex aliis principiis initium habet atque quibus ipse utitur. Omninoque in summa huius totius loci grammatici, qui ‚ablativus' vocatur, per eius origines fit, ut non solum diversissimae notiones iisdem formis comprehendantur, sed etiam in tanta quarundam notionum affinitate non modo saepe dubitatio moveatur, quae cuique loco apta sit ex huius casus significationibus, sed si acriter rem intuemur vel paucissimis tantum locis unam aliquam et singularem totius eius usus speciem ab aliis manifesto seiunctam stabilire liceat. Prae-

sertim cum nostratis linguae indoles in his differentiis tenuioribus discernendis quodam modo nobis impedimento sit et verae rei cognitioni facile officiat.

Sed in verbis *Vesper Olympo expectata diu vix tandem lumina tollit* formam *Olympo* ita intellegunt, ut aut ablativus sit casus i. e. *von . . her, weg* aut dativus derectionis i. e. *des Zieles,* sed cuius derectionis, non definitur. Nam quod Riese praeterea de quodam ‚ablativo loci' cogitavit, ipse mox talem interpretationem *oben am Himmel* reicit. Sed neutrum verum est. Quid? falsam esse et vanam poetae opinionem, qui Vesperum lumina sua ad Olympum tollentem faciat, Riese arguit; nempe e perversa interpretatione perverse cogitavisse poeta cogitur. Baehrens autem duobus locis adhibitis, quorum alterum nominat tantum, alterum mutilatum proponit, ablativum esse iniuria contendit.

Ac primum locus Horatianus in sat. I 5, 10 haec habet:

iam nox inducere terris
Umbras et caelo diffundere signa parabat

i. e. aequaliter per totum caelum (= *über . . hin*) signa diffunduntur. Nec alia est ratio alterius loci apud Ovidium in fast. IV 943 sq. exstantis:

Cum Phrygis Assaraci Tithonia fratre relicto
Sustulit inmenso ter iubar orbe suum,

ubi ea cogitari non potest notio, cuius loco usurpatur praepositio ‚ab' in extollendi verbo l. c. II 149 sq.:

Quintus ab aequoreis nitidum iubar extulit undis
Lucifer, et primi tempora veris eunt.

Hinc ex illa priore notione perspicua fit causa, cur a vocabulo ‚totus' saepissime praepositio ‚in' ut aiunt absit vel potius ‚desit'. Quod enim vulgo contendunt quidam homines, id in eo maxime vocabulo fieri solere, quod item saepe non fieri constat, is usus in ipsa casus natura consistit, cui eius vocabuli vis admodum propinqua est facillimumque praebet aditum, non in singulari aliqua eius vocabuli licentia. Ac solam praepositionem ‚in' desiderari prudenter iudicabant docti illi grammatistae; videlicet in ‚ablativo' praepositioni ‚per' locus non datur. Sed enim utrum purus casus huius vocabuli adhibeatur an praepositio ‚in' ei addatur, id persaepe a voluntate tantum scribentis pendet.

Eadem ratio est loci Ovidiani met. X 210 de Hyacintho mutato:

Ecce cruor, qui fusus humo signaverat herbas,
Desinit esse cruor, Tyrioque nitentior ostro
Flos oritur

et Vergiliani Aen. XI 465

equitem, Messapus, in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis,

ad quam appropinquat usus praepositionis ‚per' in Aen. VII 708:

Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium.

neque aliter accipiendus est casus in Aen. XII 417:

hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit.

Hoc enim i. e. dictamno aquam per alveos diffusam inficit.

Iam ‚tollendi' verbi usum persequamur per genera structurarum. Construitur id cum casu instrumenti ut ‚manibus, dextra, alis tollere' dicitur; cum ablativo ‚humo, terra tollere', ut apud Ovidium in met. XV 193

Ipse dei clipeus (i. e. sol) *terra cum tollitur ima*

i. e. ab extremo terrae margine; cum praepositione ‚in' et accusativo, ut apud Ovidium in met. XII 281 sq.:

inque umeros limen tellure revulsum
Tollit

sc. Charaxes Lapitha; VII 354 *sublatus in aera pennis,* XIV 814 de eo qui inter deos refertur, *quem tu tolles in caerula caeli,* saepe alibi, qua structura locus quo derectio fit, attactus significatur. Usurpatur quoque id verbum persaepe iuxta rem obiectam sine loci alicuius significatione cum elevandi vi, ut ‚oculos, lumina, se tollere'. Iam si ‚tollere ad' dicitur, id diversam habet derectionis notionem; denotat enim tantum regionem sive derectionem, quam actio quaedam sequitur sive tenet, non locum ea derectione attactum, ut *manus ad caelum et sidera tollit* apud Ovid. in met. II 487, ibidem VI 368 *tollensque ad sidera palmas,* III 20 sq. *tollens speciosam cornibus altis Ad caelum frontem,* I 86 *erectos ad sidera tollere vultus,* alia eiusmodi.

Porro in huius structurae locum non raro succedit dativus, ut met. XIIII 668 sq.:

Illae tollentes etiamnum libera caelo
Brachia ‚Bacche pater, fer opem!' dixere.

Is autem dativus, quippe qui locum significet a principio, ad quem versus inclinatur aliqua actio, par fere est notione illi locutioni ‚ad caelum', tamen differentia quaedam intercedit. Deligitur enim dativus a scriptore, ut eius actionis relationem quandam ad illum locum fieri notetur; is igitur qui ‚caelo' *brachia tollit* sive *portendit* cf. I 766, inde aliquid videtur exspectare vel cum affectu quodam eo se convertit.

Iam in Catulliano loco *Olympo* nec dativus esse potest, nam stella vespertina ‚ad Olympum' non tollit lumina, nec ablativus, nam ‚ab Olympo', praesertim si ‚a caelo' cum Baehrensio aliisque intellegas, item non tollit lucem, nec ille qui dicitur ‚ablativus loci'. Nam is aut nullus est ac plerumque per reliquas casus ‚ablativi' rationes explanandus aut si hic acciperetur ‚in caelo tollere', id nihil esse iam Riese adnotavit. *Lumina* autem apte interpretatus est Baehrens ‚lumen late in omnes partes splendens'. Hesperus enim, qui in v. 1 *Vesper*, in ipso cantu amoebaeo gravitatis causa *Hesperus* nominatur (cf. Bonin l. c. p. 17), sive Lucifer, cui ‚iubar' etiam a Calvo in epithalamio adscribitur, ab Homero ἀστὴρ φαάντατος appellatur — Lucifer est V 93 —, κάλλιστος — is est ἕσπερος X 317 —, sidus est ‚radiis insigne coruscis', ut ait Ovidius de sole, quem item iubar vocat met. I 768. Idem lucis genus stellae comanti met. XV 841 coll. 749 et aurorae fast. IV 944 tribuitur.

Iam nulla re prohibemur, sed his quas exposui rationibus cogimur vesperum luminis sui corusci radios ‚per Olympum' fusos tollentem intellegere; porro quoniam eius stellae radii per caelum fundi non possunt, *Olympus* non caelum significat, sed ipsum montem, cuius per fastigium *lumina* diffunduntur, cum super id oriens stella conspicitur, quae super caelum se tollere non potest. Pertinet huc imprimis locus ille p. 38 allatus ex Ov. fast. IV 943 sq. Simili igitur modo *Vesper Olympo lumina tollit* dictum est, quo haec nostras aliquis poeta scripsit de solis occidentis radiis in *Nord und Süd* 1887. 122 p. 178: *dort stieg zwar das Wettersteingebirge wie sonst aus dem ungeheuren Thal wie ein Altar empor, und schon* *glitten über seinen Gipfel*

die rothen, dann die violetten Töne, bis Licht und Farben erloschen, aus der grünen Wiesendecke ein leichter Nebel stieg und die Linien gemach im Dämmer verschwanden. Eandem huius casus notionem infra usurpari iudico in versibus 20 et 26:

Hespere, quis caelo fertur crudelior ignis?

et

Hespere, quis caelo lucet iocundior ignis?

i. e. per caelum movetur vel lucet. Ipsum enim pronomen interrogativum *quis* subintellegi iubet multitudinem stellarum, quae 'caelo' feruntur sive lucent i. e. per caelum sive toto caelo cf. Ovid. met. II 206 sq.:

Et modo summa petunt, modo per declive viasque
Praecipites spatio terrae propiore feruntur,

XV 176:

Et quoniam magno feror aequore plenaque ventis
Vela dedi,

Verg. Aen. IX 664:

It clamor totis per propugnacula muris,

VI 603:

lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris,

ubi, ut verba afferam scioli cuiusdam grammatistae ex numero eorum, qui 'prius iudicant quam intellegunt', exspectes 'geniales tori lucent aureis fulcris'. 'Proprie' nimirum hanc vel illam structuram adhibendam fuisse loco eius quae revera adhibetur qui dicere solent, iidem tamen plerumque non explanant, quae sit 'propria' vis usurpatae structurae. Qua in re ea proprietas consistat, supra indicavimus; ubi enim nulla intercedit notionis communio sive affinitas inter verbum et nomen, ibi nullus est ablativus 'instrumenti' eiusque totius generis, quod ab instrumenti genere natum ad locum sive spatium aliquod pertinet.

Quoniam igitur hic Olympus mons, non caelum intellegitur, item *Oetaei ignes* in v. 7, quam lectionem Itali restituerunt e vitiosis librorum scripturis, sicut in libris Tibullianis I 1, 48 *igne* et *imbre* item confusa fuisse Pleitner l. c. p. 65 adnotavit, non per metonymiam dicti sunt, sed propria cum notione ab ipsa Lesbia adhibiti fuisse iudicandi sunt. Quae si Thessaliae regiones

commemoraverat, populares locutiones respexerat. — Praeterea addendum est id, quod scite B. Schmidt in proleg. p. LXXV observavit: ‚quod Catullus — inquit — Hesperum a iuvenibus virginibusque super Olympo et Oeta montibus conspici finxit, hoc eum ut hominem Romanum non facturum fuisse arbitramur, nisi idem apud Sappho repperisset'. — Neque neglegendum est in hac re illud, quod iuvenes Olympum nominant, puellae eodem sensu Oetam.

Convertimus nunc nos ad v. 3:

Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas.

Omissi ‚est' in formula ‚tempus est' exempla nonnulla Baehrens attulit; recte autem eius rei excusationem Ritschelium (op. V p. 364) secutus K. P. Schulze in dissert. inaug. de Catullo Graecorum imitatore Ienae 1871 ed. p. 8 a commotione quadam animi petivit.

Iam quid ea formula significet, non satis constat. Neque enim ad libitum adhibetur loco notionum ‚tempestivum sive opportunum est' neque ‚infinitivum tam recte quam gerundium poni etiam in prosa', ut Baehrens vult, verum est. Nam ‚tempus est' omnino rarissime cum gerundio constructum invenitur et est aliqua differentia harum structurarum, quam non esse Kühner l. c. II p. 554 opinatur, nondum inventam esse Draeger l. c. II[2] p. 359 dicit, neque Zumpt, quem grammaticum prae se neminem fere putant homines pusillae et vulgaris doctrinae, *lat. Gramm.* § 659 recte constituit. Nihil fecit nisi locos fere rettulit J. Senger *über den Infinitiv bei Catull, Tibull und Properz* in progr. Spirensi a. 1886, qui ratione aut comparatione aliorum locorum non addita p. 39 eam formulam tantum apposuit reliquis. Nec felicior fuit Stanislaus Bednarski in dissert. de infinitivi apud Catullum usurpatione Tarnoviae 1886 edita et satis accurate scripta, qui p. 6 multorum librorum locos collegit, in quibus de hac locutione agitur. Sed ipse quoniam ab aliis de hac re ‚fuse copioseque' disputatum fuerit, satis habet adiecisse ‚tempus est' idem esse ac ‚tempestivum est' vel ‚opportunum est' dicitque ipse quoque nihil referre, utrum infinitivus sequatur an gerundium. Notio igitur eius locutionis adhuc non explanata est.

Sed de huius infinitivi vi plerumque ex oppositis ei actioni

rebus et condicionibus iudicare promptum est. Ut Vergilius in exitu Georg. II 541 sq. haec habet:

Sed nos immensum spatiis confecimus aequor,
Et iam tempus equum fumantia solvere colla,

ut significet se de his rebus satis dixisse et iam desistendum esse. Morae opponitur ea locutio in Aen. IX 12 sq., ubi Iris ad Turnum haec:

Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus;
Rumpe moras omnis et turbata accipe castra.

Ipso tempore commode aliquid fieri nec longiorem moram necessariam esse significatur in Aen. VI 45 sq.:

Ventum erat ad limen, cum virgo Poscere fata
Tempus ait; deus, ecce, deus! ..

coll. verss. 56 sqq. — Iam satis diu pugnatum esse Turnus dicit in Aen. X 441 sqq. his verbis;

Ut vidit socios: Tempus desistere pugnae;
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.

Nec morandum esse per tale tempus, quale indicatur, item dicitur in Georg. I 212 sqq.:

Nec non et lini segetem et Cereale papaver
Tempus humo tegere et iamdudum incumbere aratris,
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent

necdum pluvius ingruit. — Similiter de hiemalis temporis initio I 305 sq., quod curas agricolis resolvit, haec exstant:

Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri bacas oleamque cruentaque myrta.

Adde Aen. X 510 sqq.:

Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Aeneae, tenui discrimine leti
Esse suos; tempus versis succurrere Teucris.

Eadem vis morandi vel languendi notioni opposita obtinet apud Ovidium in met. X 656 sqq., ubi Hippomenes currens clamoribus stimulatur spectantium:

Adiciunt animos iuveni clamorque favorque
Verbaque dicentum ‚nunc, nunc incumbere tempus!
Hippomene, propera! nunc viribus utere totis!
Pelle moram, vinces!'

In Tibullianis ea locutio non exstat, in Propertii carmine II 10 (= III 1 L.) fit initium elegiae aut certe novi enuntiati a particula, qua alia re missa ad aliam novam transitur, quae iam tractari debeat:

Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Emathio iam dare tempus equo.

Non esse amplius morandum in altero loco dicitur II 5, 9 sq.

Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus:
Si dolor afuerit, crede, redibit amor.

Similis notio est horum locorum Plauti Most. v. 714, ubi Tranio secum ipse collocutus de sene pergit sic:

Témpus nunc ést senem hunc ádloqui mihi.

et in Terentii Heaut. v. 168 sqq. Chremetis verba haec:

sét ut dieï témpus est,
Tempúst monere me húnc vicinum Phániam,
Ad cénam ut veniat.

Ubi e Bentlei coniectura additum est *Tempúst* scholio Bembino confirmatum.

Atque in prosa oratione ea locutio idem valet. Apud Cornelium Nep. Datam. 11, 1 Mithridates persuasit Datami sibi commune odium esse cum illo in regem. *Id cum satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamen tempus esse maiores exercitus parari et bellum cum ipso rege suscipi*, ea de causa, quia satis diu iam seditionem parassent. — Ciceronis hi afferantur loci: Top. I 5, ubi prooemium ad C. Trebatium datum, quo copiosius exponit, cur et quomodo hunc libellum scripserit, sic concludit: *sed iam tempus est ad id, quod instituimus, accedere;* de or. II 42, 180 sq.: *sed tamen mihi videris ante tempus a me rationem ordinis et disponendarum rerum requisisse; nam si ego omnem vim oratoris in argumentis et in re ipsa per se comprobanda posuissem, tempus esset iam de ordine argumentorum et de conlocatione aliquid dicere; sed cum tria sint a me proposita, de uno dictum, cum de duobus reliquis dixero, tum erit denique de disponenda tota oratione quaerendum;* cf. 39, 162. Apud Livium VI 18, 12 M. Manlius, qui *accensos incitabat plebis animos* (§ 5) sic pergit: *qualescunque duces habuistis, qualescunque ipsi fuistis, omnia adhuc, quantacunque petistis, obtinuistis vi seu for-*

tuna vestra; tempus est maiora conari, id quod eo usque per moram et dubitationem nondum ausi sunt. Adde XXI 54, 2, ubi Hannibal Magoni fratri dicit: *delige centenos viros ex omni pedite atque equite, cum quibus ad me vigilia prima venias; nunc corpora curare tempus est*, i. e. quia tempus urget.

Iam si accusativus cum infinitivo ponitur, ut in Nepotis loco, id omnino nihil aliud est nisi infinitivi ea structura, in qua singulare additur subiectum infinitivo; ita enim ea structura interpretanda est. Apud Ciceronem in Tusc. I 41, 99 Socratis oratio ‚qua facit eum Plato usum apud iudices iam morte multatum' extrema haec est: *sed tempus est iam hinc abire me, ut moriar, vos, ut vitam agatis.* Nam nimis diu iam moratus esse sibi videtur. Exscribo locum quoque maxime luculentae notionis Livianum XXI 43, 9, in quo Hannibal milites adloquitur hisce verbis: *satis adhuc in vastis Lusitaniae Celtiberiaeque montibus pecora consectando nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis: tempus est iam opulenta vos ac ditia stipendia facere et magna operae pretia mereri, tantum itineris per tot montes fluminaque et tot armatas gentes emensos.* Accedunt alii, velut XXV 32, 2 sq. XXX 4, 4 sq. itemque Aen. V 637 sqq.:

Hic quaerite Troiam;
Hic domus est, inquit, vobis. Iam tempus agi res,
Nec tantis mora prodigiis.

Prorsus eadem notione constructum esse cum infinitivo in met. XIV 808 sqq. *tempus adest* uno tantum verbo nunc commemoro.

Unum locum hucusque indagare potui, in quo ‚tempus est' cum gerundio componitur, Quintil. inst. or. XI 3, 61. Ibi pronuntiationem exponit scriptor emendatam, dilucidam, ornatam, aptam esse debere (§ 30 sqq.), ornatae autem varios esse modos, qui copiosius describuntur (§ 40—60), sed de obscuriore in oratione vocis cantu, qui huc quoque pertineat, postea se disputaturum esse; *iam enim* — ita pergit — *tempus est dicendi, quae sit apta pronuntiatio.* Destinatum igitur disputationis ordinem et iustum eius materiae locum sive tempus hic significat.

Nam in ceteris locis non ea locutio ‚tempus est' adhibetur, sed ‚temporis' vocabulum et notio coniungitur vel cum praedicato aliquo, ut in Verg. Aen. IV 293 sq.

quae mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus

i. e. quae fandi tempora mollissima essent deliberabat, vel cum aliqua actione ita, ut genetivus ille a ‚temporis' notione pendeat nec omnino similis sit haec locutio illi ‚tempus est' cum infinitivo coniunctae, quas nonnulli confuderunt. Alia igitur ratio est talium locorum, quales sunt apud Ovid. in met. XIII 364, ubi Ulixes in oratione de virtutibus suis Aiaci haec praedicat:

Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides

i. e. occasiones, opportunitates; Vergil. in Georg. I 253:

praediscere . . | . . *messisque diem tempusque serendi;*

apud Liv. XXVII 41, 7 — quem locum falso interpretatus est Kühner l. c. — *tempus exurgendi ex insidiis et adgrediendi* [ita Weissenborn correxit, ‚adgredi' merus est librarii error] *hostem Ti. Claudium Asellum tribunum militum et P. Claudium praefectum socium edocet, quos cum iis mittebat* i. e. opportunum temporis momentum indicat.

Quae cum ita sint ‚tempus est (me) surgere' significat *es ist an der Zeit, es ist (für mich) Zeit, aufzustehen* ex. gr. quia satis diu sedimus; ‚tempus est surgendi' *es ist jetzt die Zeit, Gelegenheit zum Aufstehen,* quia nunc id per idoneam occasionem vel opportunitatem efficere licet; est igitur: *es ist jetzt ein günstiger Zeitpunkt, passende Zeit zum Aufstehen.* Orta autem est ea notionum differentia e casus genetivi et dativi diversa notione. Infinitivus enim sicut in graeca lingua item in latina a dativi forma ortus huius casus notionem retinuit, qua eam actionem significat, ad quam versus id tempus de quo agitur aliquo modo derigitur sive ad quam revocatur (de qua infinitivorum ratione vide copias E. Wilhelmi de infinitivi . . forma et usu. Isenaci 1872). Sed si per genetivum dicitur surgendi esse tempus, ea actio significatur, quae propria est eius temporis. Omninoque qui ‚loquendi, colloquendi finem facere' et ‚iniuriis finem facere' talesque locutiones intuetur, quam propinquae inter se sint genetivi et dativi casus notiones intelleget, simul autem illud cognoscet vel maiorem vel minorem intercedere notionis diversitatem.

In prima hymenaei stropha Hesperi crudelitas accusatur a puellis, gratia in antistropha a iuvenibus laudatur:

20. *Hespere, quis caelo fertur crudelior ignis?*
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam
Et iuveni ardenti castam donare puellam.

Ita redduntur hi versus secundum codicem T; nisi quod ibi *conplexu* traditur, quod praebebat V quoque in v. 22. Ac de constructione versus 22 dubitare licet, in quo sententia priori contraria cum affectu pronuntiatur. Iam si in v. 21 filia reluctans a complexu matris avellitur, id quod vocabuli *natam* in initio collocati vis ostendit, mater filiam complexu suo retinet. Porro exspectamus dici iam matrem avelli a filia retinente i. e. a filia, quae matrem complexu suo tenet.

Inde iudicium fit de ea interpretatione, quam nonnulli excogitaverunt, qui in posteriore versu ‚matris complexum' supplent, nec minus de ea coniectura, quam Baehrens proposuit ‚retinente', ‚ut *natam* sit commune obiectum. Belle enim — inquit — siquid sentio, matris complexus ipse dicitur retinere sive non velle dimittere filiam; qua in re maior opprobrii vis quam in filia reluctante'. Recte sensit, sed convertenda est ita constructio, ut puellae nunc dicant natam avelli, quae matrem firmo complexu tenet, non quae tenetur a matre. Itaque reponendum est:

Complexum matris retinentem avellere natam,

ut ex usu linguae vulgato suppleatur ex accusativo ablativus ‚complexu'. Eadem interpretatione ductus Gronov, postea Fröhlich correxit *complexu natae retinentem avellere matrem.* Sed falso complexum matris ita uterque intellexit, ut mater hic filiam complecteretur. Addidit hic P. Krumbholz, qui emendationem nostram probat, cogitari quoque posse lectionem *complexum patris.*

Nam ut alios scriptores omittam, idem est eius substantivi ‚complexus' usus in altero loco Catulliano. In c. LXIV 118 haec sunt:

Sed quid ego a primo digressus carmine plura
Commemorem, ut linquens genitoris filia voltum,
Ut consanguineae complexum, ut denique matris,
Quae . . .

ubi Ariadne filia dicitur *liquisse* consanguineam et matrem, quae complexu eam tenere solebant; priore loco *retinebat* filia matrem complexu, unde avulsa est.

In versu eiusdem carminis 214 hoc

Talia complexum iuveni mandata dedisse

item verbi constructio postulat, ut casus aliquis suppleatur ex altero, sicut priore loco. Supplendum est ‚Aegeum' coll. v. 213, qui *iuvenem* complexus est.

In antistropha haec exstant:

26. *Hespere, quis caelo lucet iocundior ignis?*
Qui desponsa tua firmes conubia flamma,
Quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.

Versus 28 ‚superfluus paululum et magis ob strophae aequabilitatem adiectus' iudicatur a Baehrensio, sed iniuria. Cum enim puellae modo questae sint, quod filia et mater altera ab altera crudeliter avellerentur, iam huic crimini ita occurritur a iuvenibus, ut id more legitimo et cum parentum assensu fieri declarent. Quod ut perspicue et distincte dicatur, legitima nuptiarum institutio illustratur tribusque versibus 27—29 plane dissolvuntur crimina trium priorum 21—23. Ac sicut per pluralem *conubia* totum eius notionis genus significatur, non unum aliquod tantum vel hoc, de quo agitur, conubium, item usurpatur pluralis *viri*, quo non ‚novus maritus et puellae pater' (cf. Baehrens. comm.) aut mariti pater et puellae pater (cf. Riesei ed.) notantur, sed soli mariti, de quibus est usitata vox ‚vir'. Conubium igitur pepigit vir sive maritus cum puella, pactum ante, igitur probatum a parentibus, qui non prius iunxerunt quam Vesper ortus est. Qui vellent de eius pluralis usu locos cognoscere, ii erant relegandi ad Kühneri l. c. II p. 62 sq., no. 7, non ad p. 63, no. 8. Igitur hic ad simplicissimas nuptiarum condiciones tota oratio consulto refertur longiusque petiti artificii omne abest studium ab hac poesi.

Versus 32—38 sic dedit Schwabe:

32. *Hesperus e nobis, aequalis, abstulit unam*

*

33. *Namque tuo adventu vigilat custodia semper.*
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
35. *Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.*
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, si carpunt tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Versus 32 unus superest ex altera stropha reliquis eiusdem strophae lacuna aliqua cum parte antistrophae haustis, quam lacunam vel ipsa versuum 32 et 36 inter se oppositio facta indicat. Cantus enim, qui versibus 33—37 continetur, docet iuvenes ad opprobria respondere, quae puellae Hespero fecerunt; nam queruntur puellae per Hesperum sibi unam auferri, iuvenes eum *questum* redarguunt.

Omnino vero, quod in primo stropharum pari vidimus et in tertio mox videbimus, per haec duo stropharum paria ubique accuratam plenamque teneri et sententiarum et verborum responsionem, id ipsa eius certaminis indole poscitur et efficitur, unde fit, ut in altera stropha et antistropha — quod Pleitner quoque l. c. p. 68. 71 praecipue commemoravit — aequabilem obtinuisse criminum et prolatorum et refutatorum dispositionem, ut huius aequabilitatis subsidio adiuti e versibus servatis cum veritate de amissorum versuum sententiis coniecturam facere possimus.

Ac recte M. Hauptio in op. I p. 35* G. Hermanni sententiam comprobanti videntur puellae hoc maxime crimen in Hesperum coniecisse, quod esset ipse fur sive raptor, nec perstrinxisse putandae sunt — ut Baehrens opinatur — amatores cupidos et clandestinos vel quos *sidera multa, cum tacet nox, furtivos hominum vident amores*, sed novum maritum, nimirum quia sub vesperi ortu nova nupta sibi auferretur (v. 32). Ita paulo magis et acrius quam in prima stropha i. e. v. 20—24 factum erat, querelam suam de abducta virgine puellae auxerunt, sed de clandestinis amoribus aut de amatoria custodia, ut more Ovidianae lasciviae loquerentur, numquam cogitaverunt. Absunt tales omnino cogitationes ab huius certaminis verecundia et simplicitate.

Sed id crimen ita dissolvunt argutiis suis iuvenes, ut non vesperum esse fautorem furti illud puellarum dictum corrigentes

contendant, namque etiam tum sub diei finem vigilare custodiam ac nondum obdormivisse custodes dicunt; potius nocturno tempore — *nocte* ‚cum vi multa oppositionis' dicitur, ut recte Baehrens adnotat — fures latere cf. Hor. ep. I 2, 32 *surgunt de nocte latrones, Γ* 11 ὀμίχλην .. κλέπτῃ .. νυκτὸς ἀμείνω; sed enim vesperum non modo non criminandum esse, verum etiam laudandum, qui *idem saepe revertens* sub mutato nomine fures comprehendat i. e diei luce adventante. Ac primum quidem *saepe* ad *revertens* pertinet nec iungi potest, quod quidam fecerunt, cum *comprendis,* quia ita id quod laudis vespero tribuunt iuvenes, ipsi rursus per *saepe* infirmarent. Nam Lucifer tantum *saepe* revertitur, sed semper fures comprendere dicitur. Igitur *Eous* Schraderi non speciosa tantum est coniectura, sed verissima emendatio loco corrupti vocabuli *eosdem* reponenda.

Quidquid enim latere putas sub eo vocabulo, hoc ipsum vere ineptum est. Nam cum furibus nox prospera dicatur, non Hesperus, cuius sub adventu etiam vigilet custodia, ne ii quidem ita denuo referri possunt, ut ‚iidem' ab eodem Hespero mutato nomine comprehendi dicantur. Sed illud notatur, qui custodiae faveat i. e., ut proxima aperiunt, fures prohibeat, quos non prohibeat nox, sed admittat, eundem furum comprehensioni favere. Duae igitur variae actiones praedicantur de Hespero sive Lucifero eique per *idem* tribuuntur, non de furibus iisdem quid fiat dicitur. Nihil igitur huc pertinet locus allatus e Iuvenale VII 153 hic

Nam quaecumque sedens modo legerat, haec eadem stans
Perferet, atque eadem cantabit versibus isdem.

Porro Pleitner l. c. p. 70 recte illud animadvertit, quod nunc a Baehrensio demum profectum videtur, verba *mutato nomine* flagitare, ut quod alterum nomen sit Hesperi indicetur. Ut aequalis et amicus Catulli C. Helvius Cinna in fr. 8 M. in Zmyrnae errabundae angoribus et sollicitudinibus describendis haec dicit inverso earum notionum ordine:

Te matutinus flentem conspexit Eous,
Et flentem paullo vidit post Hesperus idem.

Vesperum igitur — ita acutius et subtilius defendendo crimen illud iuvenes elevant — neque culpam eam sustinere, quam tribuant puellae, quod furtis faveat, et sub lucis reditu, quam saepe

idem antegrediatur, nocteque peracta meritum sibi parare fures comprehendendi potestate facta. Itidem fere iam M. Haupt cum G. Hermanno l. c. eos versus intellexit: *so begreift es sich* — inquit — *wie die jünglinge in der darauf (auf die anklage des Hesperus als eines diebes oder räubers) antwortenden strophe auf die diebe kommen. ‚Dich, Hesperus, nennen sie einen räuber? du bist es ja gerade, vor dem diebe und räuber sich am meisten scheuen müssen.'* Venusta est ea vesperi prosopopoeia, quae a iuvenibus retinetur.

Et Baehrensii speciosam coniecturam ‚deprendis', quae a falsa opinione originem traxit, reiciendam esse etiam addo propterea, quia ea sicut Riesei credulitatem cepit, item alios interpretes minus cautos facile decipere possit. Nam quibus rationibus ductus est Baehrens? *comprendere,* inquit, ubi apud bonos quidem scriptores in his rebus amatoriis plane ut ‚deprehendere' ponatur, non habeo. — Sed ad tales res, quales Baehrens cogitat cf. comment. ad v. 33. 34, quas supra p. 49 iam tetigimus, is cantus non pertinuit, qua de causa, quoniam ‚deprehenditur' aliquis in ipso facinore, media in actione aliqua vel in aliquo statu, hic nullus est ei vocabulo locus. Quod probatur ut exempla afferam his locis Ovidii a. a. II 557

Quo magis, o iuvenes, deprendere parcite vestras;
Peccent, peccantes verba dedisse putent,

Tac. Agr. c. 7: *igitur ad sollemnia pietatis profectus Agricola nuntio adfectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est,* c. 15: *porro in eius modi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere.* Sed *comprendis* non solum aptissimum, verum unice aptam infert notionem, quoniam huic contrariae sunt notiones latendi vel effugiendi, ex quibus prior illa hic antea in v. 34 indicata est.

Sed restat etiamnunc aliquid. In opinionum errores deducti sunt viri docti locis quibusdam ex iis, quibus Hesperus et Lucifer memorantur, ut ad hunc locum Catullianum inde transferrent eam interpretationem qua ipsi sibi veritatis cognoscendae viam obstruebant. Atque unum erroris genus pertinet ad eos, qui putabant loco Callimacheo Hecales fr. LII decepti similem hic proferri sententiam huic:

Ἡνίκα μὲν γὰρ ταὐτὰ φαείνεται ἀνθρώποισιν,
αὐτοὶ μὲν φιλέουσ', αὐτοὶ δέ τε πεφρίκασιν·
Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν Ἑῷον

cui loco addidit Bonin l. c. p. 6 ex anthol. Pal. V 172 Meleagri epigramma hoc:

Ὄρθρε, τί μοι, δυσέραστε, ταχὺς περὶ κοῖτον ἐπέστης
ἄρτι φίλας Δημοῦς χρωτὶ χλιαινομένῳ;
Εἴθε πάλιν στρέψας ταχινὸν δρόμον Ἕσπερος εἴης,
ὦ γλυκὺ φῶς βάλλων εἰς ἐμὲ πικρότατον.
Ἤδη γὰρ καὶ πρόσθεν ἐπ' Ἀλκμήνῃ Διὸς ἦλθες
ἀντίος· οὐκ ἀδαὴς ἐσσὶ παλινδρομίης.

Illa quidem priora a Bentleio de novis maritis intellecta sunt, contra dicit O. Schneider in Callimacheis II p. 203. Sed sint ita illa intellegenda; certe haec, quae Alexandrinae aetatis amatoriae poesi convenientia sunt, cum a Catulli quidem ingenio aliena sunt, tum ab huius loci conexu, qualem investigavimus, sunt re vera alienissima. Nec minus alienus est alter locus, cui similes orationes apud recentiores poetas non paucae exstant.

Alteri quidem levius errant, sed tamen erroris alicuius item hos loci Catulliani sententia coarguit. Ciris loci huius v. 349 sqq., qui est de diei ortu:

Postera lux ubi laeta diem mortalibus almum,
Et gelido veniens mane quatiebat ab Oeta,
Quem pavidae alternis fugitant optantque puellae
— Hesperium vitant, optant ardescere Eoum —

versum ultimum male priori quasi adglutinatum temere arripiunt dictitantque idem optasse Catullianas puellas de Eoo, quamquam hae ne vitaverunt quidem Hesperum.

Nam si ad versus 36 et 37 pergimus hos:

At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?

sequitur iam per refutationis vulgarem particulam argumentum ad puellarum qualem fuisse suspicandum est orationem adpositum et in ea responsione non sine acumine quodam concinnum illud: *at lubet innuptis ficto te carpere questu,* confirmatum et auctum eo, quod per formulam *quid tum, si* praeter opinionem adversariorum adicitur.

Et quoniam haec omnia ita inter se conexa et apta esse constat, ne illud quidem concedere nunc licet, quod quis opinari possit et Pleitner l. c. p. 74 opinatus est, puellas oratione sua tetigisse Eoum quoque per laudationis aliquam speciem. Nam nunc certissimum esse existimare cogor sicut in prima stropha hic quoque de Hespero tantum queri puellas nihilque de Eoo addidisse. Nam si Hesperum vituperant, idcirco non *optant ardescere Eoum* aut requirunt hunc, quia illum fugiant. De Eoo soli iuvenes commemorant, sed ita, ut ab Hesperi significatione profecti tamquam aliquid novi addant eundem mutato tantum nomine esse Eoum.

Sed cur id additur? Iuvenes cum Hesperum nihil rei habere cum furtis commonstrant, immo pariter eum his obstaculum esse impedimentumque et mutato nomine adiumentum ad fures comprehendendos, redarguunt primum apte puellarum querelas, tum addidisse id quidem videntur hac fere de causa, quod ipsi memorabile putabant vel ut rectius dicatur poeta, qui hos ita loquentes fecit.

Atque id ipsum, quod cum levi aliqua amplioris scientiae iactatione — quod item Pleitnerum non fugit l. c. p. 71 — proponunt, Hesperum et Eoum idem esse sidus, hac de causa quia non ita vulgaris fuisse ea scientia videretur', omnino hoc loco commemoratum fuisse iure suspicor. Contra Catullum ipsum hoc de Hespero eodemque Eoo novasse probabile videtur B. Schmidtio in proleg. p. LXXVI. Nam, ut huius verba afferam, ‚etsi disceptabatur a veteribus quis primus animadvertisset dixissetve Hesperum et Luciferum eundem esse, nemo tamen neque Sappho neque quemquam hac antiquiorem eius rei auctorem laudavit, sed aut Pythagoram aut Parmenidem aut Ibycum nominant' v. locos ibidem allatos.

Ac primum quidem eandem ob causam huic viro docto, etsi id Catulli carmen totum in imitatione Sapphus positum esse cum aliis censet l. c. p. LXXIV, tamen et hic et alio huius carminis loco in versibus 49 sqq. Catullus Sapphus imitationem non per singula omnia tenuisse videtur, sed nonnulla paululum immutata reddidisse ita, ut illo loco vulgarem suae aetatis scientiam, hoc altero Italiae in vitibus colendis morem sequeretur. Utrumque non rectum iudico; de altero loco infra videbimus.

Sed quod ex huius ipsius loci conexu et sententia enucleavimus, id optime convenit ei opinioni, qua quis iam Sappho idem de Hespero scivisse et dixisse recte putare possit cum Wilamowitzio in Herma XVIII (1883) p. 417, sed ut rem minus pervulgatam. Hic tamen vir eam scientiam iam a priscis temporibus fortasse immerito repetivit, cum haec ut solet cum bono veritatis et historiae sensu profert: *dieser schönste stern, leuchtend vor und nach allen andern, hatte natürlich längst die volksphantasie beschäftigt, und längst, in unvordenklicher zeit, hatte man die identität des morgen- und abendsternes begriffen, wenn man auch, gerade so wie wir, in der rede und poesie der sinnlichen anschauung folgte und nicht der astronomischen kenntniss: für die phantasie haben ja auch Aristarchos und Kopernikus die sonne nicht zum stehen gebracht. Allerdings streiten die antiken gelehrten sich nun darüber, wer unter den männern des ausgehenden sechsten jahrhunderts die identität entdeckt hätte, aber das heisst nur so viel, dass sie damals zuerst ausdrücklich erwähnt ward: jahrhunderte lang vorher mochte sie desshalb schon bekannt sein.*

Ac si in hac re novitatis gratia trahebatur Sappho, eam carminum suorum commendationem captasse iudicanda est non affectato novitatis studio, sed ut naturalem illam novarum rerum delectationem efficeret, quam audientibus effici Homerus dicit:

τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ᾽ ἄνθρωποι,
ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Addimus alia quaedam huc pertinentia e novissimo Wilamowitzii de Euripidis Hercule libro. Ibi Aeoles imprimis stellarum aspectum studio et amore suo amplexos esse commemorat (cf. I p. 33 *die sternliebenden Aioler*), tum Oetam quoque quondam deorum montem fuisse contendit his verbis (I p. 321 et annot. 103): *der Oeta ist ehedem auch götterberg gewesen. Dies zeigt sich namentlich darin, dass morgenstern und abendstern auf ihm wohnen, nicht bloss für die beiden lokrischen stämme* [cf. Herm. l. c.], *sondern noch für die lesbischen Aioler. Natürlich ist diese anschauung hellenisch, nicht dorisch vgl. zu v. 394* [= II p. 129 sq.]. Lesbii igitur Aeoles domesticam horum montium memoriam novis suis sedibus occupatis servasse iudicandi sunt.

Sed habitare ibi in Oeta Hesperus et Eous nempe tum demum credebantur, cum vulgo cognitum esset idem esse sidus.

Porro *abstulit* illud, quod interpretatur Baehrens per ‚rapuit', nullo modo rapinae alicuius morem in nuptiis Romanis antiquitus usitatum significare potest, quod Baehrens persuadere cupit. Nam nullum eius moris vestigium in responsione iuvenum impressum est, quod factum esset, si tale aliquid a puellis significatum fuisset.

Sed in versu 32 lectio in omnibus editionibus recepta *aequales* stare non potest, de qua lectione item Pleitnerum l. c. p. 68 dubitasse cognovi. Sed coniecturam eius afferre non attinet.

Ac primum quidem per omnes has strophas et antistrophas quibus puellarum et iuvenum greges inter se utrimque certant, nusquam talis allocutio alterius utrius chori ad totam suam turbam facta exstat omninoque hac ipsa de causa hic facta esse non potest. Idem animadvertit Pleitner l. c., cuius verba parum dilucida haec sunt: *alle drei Strophenpaare als ein zusammengehöriges Ganzes unterscheiden sich der Darstellung nach, besonders in den Anfangsversen scharf von den übrigen ihnen vorausgehenden und nachfolgenden Strophen . . . der eine erhaltene Anfangsvers* [= v. 32] *stimmt in sonderbarer Weise der Form nach mit v. 11 überein durch sein aequales.* — Quid ergo sibi vult vocativus *aequales* hoc loco?

Accedit aliud quiddam. In primo et in tertio stropharum pari eius sententiae expositio, quae per contrarias puellarum et iuvenum certantium voluntates in diversas fit partes et quae constat in crimine aliquo proferendo, quod ab altera parte elevatur, semper temporis vel rerum certas quasdam condiciones eius sententiae, quae profertur ab altera utra parte, habet simul expressas, maxime per coniunctiones adnexas, quae in locis cuiusque strophae inter se accurate respondentibus ex adverso ponuntur. Velut in tertiae strophae versu sexto (= 43) — nam quartum, non alium, intercidisse constat — et nono (= 46) per *cum,* in antistrophae versibus eundem ordinis locum habentibus i. e. in versu 54 per *si* et in versu 57 per *cum* adduntur condiciones

quaedam sive attributa quae dicuntur ad sententiam definiendam. Idem fit in primae strophae versu altero (= 21) et in versu 27 illi ex ordine suo respondente per pronomen *qui;* nec aliter — id quod monuit P. Krumbholz — in versu suae strophae paenultimo (= 29) *nec* refertur ad superioris strophae versus paenultimi (= 23) *et.*

Iam quod puellae in Hespero criminatae sunt furtum — nam de rapina cogitari non debet —, M. Haupt haec dixit: *auf Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam folgte eine anklage des Hesperus als eines diebes oder räubers.* Sed hoc certe apertum est illi enuntiato, in quo Hesperus adventu suo virginem abstulisse arguitur, opponi alterum, in quo Hesperus *idem saepe revertens* eos qui aliquid auferre velint i. e. *fures mutato nomine Eous comprendere* praedicatur; quae oppositio maxime auferendi et comprendendi notionibus ad eundem Hesperum relatis fit conspicua.

Porro quoniam illud *conprendis,* in qua notione vis enuntiati primaria posita est, secundario enuntiato per pronomen *quos* formato includitur, certe ab ea sermonis aequabilitate supra declarata non abhorrens videri possit, si actio illa auferendi item in membro aliquo secundario exstiterit vel per pronomen vel per coniunctionem ita conexo, ut tali indicio definiatur, cur aut quatenus puellae Hespero furis nomen dederint. Quamquam his rationibus vix cuiquam id me confirmasse ipse scio eaque suspicio plerisque mira aut inutilis fortasse videbitur, tamen eam coniecturam veram esse statim apparebit. Neque vero inutilis erat ea expositio idcirco, quia aequabilitas illa sermonis, quam eo quoque loco quaerimus, vere Sapphicae est originis.

Ac vocativum qui in editionibus legitur semperque legebatur *aequales* hoc loco omnino ineptum esse supra demonstratum est; accedit praeterea quod id vocabulum corruptelam aliquam habere traditarum lectionum diversitas prodit, cuius causae secundum eam scientiam, quam de codicum origine habemus, manifestae sunt. Sed id quod ab aequabilitate et conexu commendatur, erui potest ex ipsa codicum memoria. Ac Schwabei apparatus criticus hanc varietatem praebet: *ęqualis* T *equales* V (= GO), inde *m* littera superscripta et *s* expuncta fecit *equalem* g [*equalem* CDHΛ].

Ac notatu dignum est, quod vitiosa lectio, quae versus numeros tollit, a codicibus quibusdam retinetur, de quorum auctoritate (excepto Λ) videnda est Schwabei in editione priore praef. p. XIII. Praeterea g ea lectione, per quam numeri servantur, correcta id ipsum vitium numeris intulit, qua re is librarius a temerariae interpolationis suspicione defenditur. Iam quae vel in hoc ipso rei criticae statu oritur suspicio, in ea scriptura latere integrae lectionis vestigia, tam certis praeterea argumentis firmatur, ut contendere liceat illud *aequales* ne a codicibus quidem defendi.

Nam quod hic ea lectio quam praeter G et O reliquorum codicum nonnulli praebent, cum ea consentit, quae in codice G correctori prima manu paullo recentiori (g)' debetur, de quo v. Schwabei praef. ed. alt. p. III, idem in Catulli textu saepe factum esse videmus. Porro certum est, libros G et O ex ipso codice amisso V descriptos esse, alios omnes aut certe aliquot non ab horum altero utro oriundos esse cf. B. Schmidtii proleg. p. CIII. Sed quidquid de libris reliquis CDHΛ iudicatur, etiamsi ab horum fide recedamus, manet tamen illud varietatem lectionum, quas manus recentior g vel superscripsit vel in margine addidit, ab ipsius codicis V auctoritate pendere. Quae varietas lectionis hic a reliquis libris praeter G omissa est. Unus enim quisque nostrorum librorum, qui quidem duplices praebent lectiones, etiam is qui plurimas habet codex Venetus M nuperrime collatus, partem tantum omnium quae in V exstiterunt enotatas recepit. Ac de hac duplici codicis V memoria, quam codices G (G^1, g), O, B, L, M etsi valde impariter exceptam, tamen e communi illo fonte haustam pro sua quisque parte servaverunt, conferantur ea quae post Schwabei in edit. priore et Baehrensii praefationes luculenter B. Schmidt in proleg. p. CI—CIV disseruit et nuperrime K. P. Schulze, qui totam hanc quaestionem accuratissime persecutus est, in Herma 1888 p. 567 sqq. exposuit. Parum concinne disputavit A. Gehrmann in progr. Braunsberg. 1879 p. 23—29.

Iam apparet lectionum ad versum 32 pertinentium varietatem redire ad duplicem ipsius codicis V lectionem. Quae cum ita sint, litterarum a libris traditarum ratione habita confidenter dico Catullum scripsisse

Hesperus e nobis aequalem si abstulit unam.

Ac de legitima vocalis longae elisione in eo vocabulo monosyllabo nulla est dubitatio, quoniam a Catullo, qui duriores omnino elisiones admisit (cf. M. Haupt op. I p. 88. 90 sq.), eliduntur, ut J. Baumann in progr. Landsberg. 1881 p. XXI observavit, particulae *cum, dum, iam, nam, quam, tum, ne, si*; cf. L. Müller de r. m. p. 283. 297 sqq. Permultas autem elisiones in hoc ipso carmine adhibitas esse Bonin l. c. p. 13 animadvertit, velut in quinti pedis priore parte eliditur syllaba in m exiens in v. 50 *mitem educat uvam* itemque illud *si* in c. LXXV 3 *si optima fias*.

Et quoniam semel librorum Catullianorum auctoritas hic adhibita est, attinet nunc illud quoque afferre, quod sane memorabile est, manum illam per g significatam ad versum 11 in margine codicis G addidisse *Puelle,* a qua adnotatiuncula nec alii hucusque deducti sunt ad veram responsionem carminis LXII restituendam, quae supra proposita est, neque ego ipse profectus ad hoc inventum deveni. Sero enim eam animadverteram primum in Schwabei editione priore p. 194 altera tum nondum in lucem edita. Additae autem sunt tales notae ad initia, quae quidem habebantur, singularum stropharum, ad v. 1 ‚Turba virorum', v. 6 ‚Puelle', v. 11 ‚Puelle', v. 20 ‚Puelle', v. 26 ‚Iuvenes', v. 32 ‚Puelle' — hic enim versus unus ex omnibus suae strophae servatus sequentis quoque strophae parte aliqua amissa in initio novae alicuius strophae positus videbatur —, v. 39 ‚Puelle', v. 49 ‚Iuvenes'; deest nota ad ultimam stropham, cum et primus huius strophae versus et ante hunc ephymnium quoque antecedentis ea lacuna hausta sint. Est vero haec adnotatio e genere signorum eorum, quibus vel vocis unius versusque lacuna vel novi carminis initium, ubi nullum est textus interstitium, in codice M indicetur; quae signa eum librarium iam in eo quem describebat librum invenisse, inde apparere, quod pars eorum in O et G non desit recte concludit K. P. Schulze l. c. p. 587. Igitur ea quoque a codice V originem traxisse iudicanda sunt. Quin ea adnotatiuncula, sicut variae illae lectiones longius repetendae sunt e codice archetypo, unde aliquando et V descriptus fuit et ea pars codicis Thuanei, quae Catulli c. LXII continet. Quid? si legebatur ibi *e qualis* in versu 11, quibus ‚puellae' utebantur?

Iam restat, ut quaeramus, num quid de versuum amissorum numero et ordine cognosci possit.

Ac Lachmanno vix dubitari posse visum est, quin post versum 32 paginae duae h. e. sexaginta versus perierint, secundum eas rationes de codice archetypo initas, quas in recensendo Catullo secutus est. Quam sententiam etsi plerique hodie improbant, de qua Schwabe in praef. editionis prioris p. XXIX sq. cum iusta viri summi verecundia exposuit et post hunc denuo quaedam ad eam rectius intellegendam attulit L. Müller in praef. p. VII—IX, tamen contemptam et abiectam putare per tanti viri auctoritatem nullo modo liceret. Quamquam M. Haupt defensor quondam eius sententiae acerrimus (cf. op. III p. 36) postea ipse ab ea recessit (cf. op. I p. 34)*, quod de aliis quoque hominibus doctis indicavit H. Magnus *N. Jahrbb.* 113 (1876) p. 406. Sed enim satis constat quod quondam P. Böhme in quaest. Catull. p. 21 suo iure dixit, ‘nullum fere nasci ex cognitione paginarum in archetypo partitionis lucrum.’

Sed ea est in hoc loco artis criticae condicio, ut iudicium de lacunae ambitu non pendeat ex illa quaestione de versuum codicis archetypi distributione instituenda. Neque vero profici quidquam potest, etiamsi nimiam illam anxietatem, qua perculsi viri docti de parva tantum lacuna suspicari perhibentur a Bonino l. c. p. 11, plane exuerimus aut audaciam quandam sumpserimus, quam nihil deterreat et quae ‘vaticinari didicerit’ vel ‘cupiat’; et quod idem negat l. c. p. 9 probabile aliquid hic divinari posse, id ipsum temerarium est, nec minus inane quam illud, quod quoniam omnia incerta sint et obscura, ea maxime dubitatione sententiarum de carminis 62 dispositione magnam diversitatem effectam esse putat. Redeundum est ad accuratam huius loci interpretationem, optimam si non vaticinandi at certe divinandi magistram, qua duce arrogantiae speciem certe effugiemus, quae inprimis L. Müllero in coniecturis de hoc loco faciendis vitanda esse videbatur cf. praef. eius p. XXIII.

Ac primum quidem vidimus versum 32, quem post Lachmannum omnes excepto L. Müllero, quamquam de toto loco longe aliter statuit ac nos (cf. praef. p. XXIII sq.), initium puellarum carminis esse voluerunt, eum locum non obtinuisse, sed alium

quendam, ut certe ante hunc aliquid intercidisse appareat. Utrum medium aliquem locum habuerit an ultimum mox videbimus.

Conexus autem et versuum 32 et 35 voce Hesperi signatorum responsio postulat, ut puellas dixisse putemus tale aliquid: nos quidem iure ac merito queri debemus, si Hesperus nunc unam e nostra societate et amicitia abstulit.

Quodsi primum stropharum par ad novae nuptae seiunctionem a matris sinu gremioque factam pertinet, iam alterum deductionem eius, quae sub Hesperi ortu fit, indicat, id quod iam Pleitner l. c. p. 68 intellexit. Hac igitur carminis amoebaei parte, de qua nunc agimus, actionis progressus quidam leniter, sed distincte significatur is, qui priorem actionem excipiat et rursus ad insequens stropharum par transitum paret. Inde igitur iure suo idem vir doctus l. c. conclusit, lacunam tantum modicam et eam intra alterum stropharum par esse, nullam autem praeterea carminis amoebaei partem deesse.

Tum ipsa orationis apta et concinna conformatio coarguit, in antistropha post v. 37, quem sequitur ephymnium, nihil ad sententiam propositam deesse. Iam hic monendum erit, sicut in primo stropharum pari ultimus quisque versus in interrogativo aliquo enuntiato constat eademque enuntiati forma in ultimo alterius antistrophae versu (37) redit, item consentaneum esse in alterius strophae fine interrogationem aliquam locum habuisse. Duo igitur versus cum ephymnio subsecuti sunt unum qui servatus est; ergo antecesserunt tres, quoniam unum tantum versum, cuius intra spatium suppeditari possit id quod sententiam expleat, ante *namque* intercidisse veri simile est, quartus autem quisque utriusque strophae responsionis lege suum locum tenet. Omninoque sicut in reliquis eius carminis amoebaei partibus singula enuntiata pares habent similitudines et responsiones, easdem habuisse hoc alterum stropharum par consentaneum est, etsi ipsa enuntiata refingere nunc non possumus.

Atque id quoque, quod codicem archetypum scribenti erroris occasionem dedit, non sine aliqua probabilitate dici potest. Nam cum in versu 33 iuvenes alloquantur Hesperum per pronomen *tuo,* is ipse in priore versu nominatus fuisse debet; unde propter sermonum aequabilitatem veri simile fit, eundem in initio strophae

a puellis appellatum fuisse. Librarius igitur a primo loco Hesperi nominis ad alterum transcurrit, quo versu exarato omisit tertiam eius appellationem item in versus initio positam. — Eandem erroris causam, sed ita ut versum 32 primum esse eius strophae putaret, indicavit iam Usener apud O. Frankeum l. c. p. 45 sq.; simul illud quoque cognovit puellarum strophae sex versus amissos esse, antistrophae unum initialem perisse.

Ac de vocis *ignotus* in v. 40 proprietate dubitare non debebat Baehrens. Habes enim apud Vergil. Aen. XII 414 similem vocabuli ‚*incognitus*' usum:

. . *non illa feris incognita capris*
Gramina (sc. dictamnus), *cum tergo volucres haesere sagittae,*

sc. quae quaerunt, cum sagittis confixae sunt cf. de eadem re Cic. de n. d. II 50.

De universa tertiae strophae (= v. 39—47) et antistrophae (= v. 49—58) structura grammatica rectius iudicavit Riese quam Baehrens, quorum versuum eos, quos necessarium videbatur, hic reddo a L. Muellero distinctos:

Ut flos in saeptis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo convolsus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber
. . . .
Multi illum pueri, multae optavere puellae:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
Sic virgo et q. s.

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo
Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Iam iam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolae, nulli coluere iuvenci:
At si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi coluere iuvenci:
Sic virgo et q. s.

Baehrensio enim deesse aliquid visum est in v. 39 comparata versus 43 coniunctione *cum,* item ut aliis interpretibus. Scripsit igitur *ut flos si in saeptis.* Sed rectissime contra talia tentamina Riese in adnot. monuit, eam structuram *ut flos nascitur, quem mulcent: illum optavere ... sic* prorsus parem et aequabilem esse alteri *ut vitis se extollit, quae nascitur: hanc coluere ... sic,* qua aequabilitate omni coniectandi libidini via praeclusa est. Sed ipsius structurae ratio nondum satis explorata est et ea interpretatione indiget, qua integritas eius plane stabiliatur.

Notissimum est non raro a Graecis scriptoribus participii alicuius in initio enuntiati collocari nominativum, cui non is orationis progressus succurrit, qui ad eum casum aptus sit, sed qui post orationem continuatam vel amplificatam vel parenthesi interruptam casu aliquo obliquo excipitur. Cuius structurae latius patentis exemplum est apud Platonem apol. p. 21 c: *διασκοπῶν οὖν τοῦτον — ὀνόματι γὰρ ... — καὶ διαλεγόμενος αὐτῷ ἔδοξέ μοι οὗτος ὁ ἀνὴρ* ... cf. alia apud Kühner. *ausführliche Gramm. der griech. Spr.* II² p 661 sqq.; porro ex alio eius licentiae genere est locus Xenoph. anab. II 5, 41: *Πρόξενος δὲ καὶ Μένων ἐπείπερ εἰσὶν ὑμέτεροί τε εὐεργέται, ἡμέτεροί τε στρατηγοί, πέμψατε αὐτοὺς δεῦρο,* ubi v. Krüger. adnot. cf. locos a Kühnero collectos l. c. II 1² p. 42.

Ac prius genus Romanis non est usitatum, alterum apud eos non est rarum (cf. Kühner. *ausf. Gr. der lat. Spr.* II p. 1061) variasque habet species et causas; velut in enumeratione rerum saepius talia anacolutha sponte fere oriuntur; e latinis exemplis affero Cic. de fin. II 33, 107, ubi videas Madvigii interpretationem; de graecis cf. Kühner. l. c. II 1² p. 41. Ac tamen Graeci tales constructiones liberius dispositas magis ad orationis ipsius naturam et ordinem aptasse videntur et quodammodo ei reconciliasse, quam Romani scriptores, qui quidem si non semper, at tamen saepius cum violentia aliqua orationis leges et mores perrupisse iudicandi sunt.

Plerumque in his omnibus exemplis pronominis alicuius ut natura sua ad id apti — est enim *ἀντωνυμία* —, quod pendet a verbo dominanti, casus obliquus nominativi qui praecesserat loco adhibetur, ut neglecta structura iam ea pronominis intercessione in integrum restituta esse videatur.

Idem factum est maxime in comparationibus, velut apud Sophoclem OC. 1239—1244 haec exstant: ἐν ᾧ τλάμων ὅδ', οὐκ ἐγὼ μόνος, πάντοθεν βόρειος ὥς τις ἀκτὰ κυματοπλὴξ χειμερία κλονεῖται, ὣς καὶ τόνδε κατ' ἄκρας δειναὶ κυματοαγεῖς ἆται κλονέουσιν ἀεὶ ξυνοῦσαι· ubi Nauck apte contulit Hom. Δ 433: Τρῶες δ', ὥς τ' ὄιες πολυπάμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ μυρίαι ἑστήκασιν ἀμελγόμεναι γάλα λευκόν, ἀζηχὲς μεμακυῖαι, ἀκούουσαι ὄπα ἀρνῶν, ὣς Τρώων ἀλαλητὸς ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ὀρώρει, adde ν 81: ἡ δ' (= νηῦς), ὥς τ' ..., ὣς ἄρα τῆς πρύμνη μὲν ἀείρετο ... Sed ea structura a priore talis enuntiati parte, non a posteriore, ut vulgo fit, spectari debet. Conexus enim rerum et unius alicuius notionis praecipua vis in his locis postulat, ut in initio totius periodi ad eam rem prodendam, de qua dicatur, statim nomen aliquod collocetur, sed quia scriptor veretur casum aliquem obliquum reponere nimis a verbo dominanti remotum, utpote qui per se minus spectabilis videatur, idcirco rem nomine suo appellat, quod nomen ut structurae rationi denuo accommodetur, postea curat. Paulo insolentius et licentius ac tamen secundum naturam formatum id anacoluthon apud Homerum est, quod a Sophocle eleganter mollitum est, quia verbi prioris forma ‚κλονεῖται' propter collocationis vicinitatem non repugnat nominativo; eodem collocationis lenimento usum esse videmus Xenophontem Hier. IV 6: ὥσπερ οἱ ἀθληταὶ οὐχ ὅταν ἰδιωτῶν γένωνται κρείττους, τοῦτο αὐτοὺς εὐφραίνει, ἀλλ' ὅταν τῶν ἀνταγωνιστῶν ἥττους, τοῦτ' αὐτοὺς ἀνιᾷ· οὕτω καὶ ὁ τύραννος, ὅταν ..., τότ' εὐφραίνεται, ἀλλ' ὅταν ..., τούτῳ λυπεῖται, ibidem VI 15: ὥσπερ γε καὶ ἵππος εἰ ἀγαθὸς μὲν εἴη, φοβερὸς δέ, μὴ ἀνήκεστόν τι ποιήσῃ, χαλεπῶς μὲν ἄν τις αὐτὸν ἀποκτείναι διὰ τὴν ἀρετήν, χαλεπῶς δὲ ζῶντι χρῷτο, ...

His igitur eius usus exemplis Catullianae structurae ratio firmatur. Ibi nullum est anacoluthon eius licentiae, per quam casus ab eo qui a verbi rectione exigitur diversus adhibitus sit, sed ambitus sive periodi forma paululum tantum a vulgari more declinatur, quam formam membrorum distinctio coli quod dicitur signo facta commode ob oculos ponit, qua L. Müller usus est. Sed commate tantum post *flagellum* v. 52 distinguendum erat. Unus enim est duobus membris secundariis ex aequo inter se

oppositis (v. 43 *idem cum*, v. 54 *at si*) et bene conformatus orationis circuitus, in quo nominativus quidem in integro ac pleno enuntiato suo verbo adiungitur, sed tum accusativi ἀντωνυμιῶν *illum* (v. 42) et *hanc* (v. 53) apte ita inseruntur, ut nominativum in initio positum denuo excipiant et ita verbo in fine posito quodammodo subiectum accommodent.

Ita per hanc simplicem eandemque artificiosam membrorum circumscriptionem notiones primariae in comparationem adhibitae suam libertatem retinent separatae et prohibitae ab incurrentis verbi vi et necessitate.

Verum in his enuntiatis ea est concinnitas et gratia orationis, ut facile credamus eam non ab ipso Catullo, sed a Sappho inventam esse. Quid quod praeterea rerum ordo ad chiasmi rationem artificiose ita institutus est, ut floris intacti pulchritudinem sequeretur eiusdem laesi deformitas, his vero ab adulescentibus opponeretur inverso ordine vitis viduae inutilitas, tum maritatae cultus?

In his quae modo dixi iam leviter significavi eam emendationem versus 43

Idem cum tenui carptus defloruit ungui,

quam maxime necessariam esse et verborum proprietate sententiaeque acumine efflagitari exponam.

Atque hoc loco denuo Pleitnerum nominare debeo, qui l. c. p. 76—79 longa quidem et inconcinna oratione, sed tamen unus ex interpretibus iustas movet dubitationes de voce *carptus*, quas siquidem huc usque omnes, quos commentationem illam adhibuisse et legisse exspectandum erat, neglexerunt, id sane non ita mirum videtur in hoc vocabulo, quod de flore dictum tam vulgarem usum et simplicem sensum habere videbatur. Ac tamen id corruptum esse apparebit.

Interpretantur vulgo, sicut necessarium est, *carptus* ita ut decerptum florem intellegant afferuntque locum Propertianum hunc I 20, 39 de Hyla

. . . *decerpens tenero pueriliter ungui*
. . . *florem* . . .,

qua in locutione certe illud primum persentiscere debent, *tenui*

propter inanitatem eius epitheti a Catullianae dictionis proprietate prorsus alienam, quia id omni vi caret, in eius enuntiati sententia omnino ferendum non esse. Sed hoc fortasse levius videatur si qui in talibus rebus quid poetae consentaneum sit aut quid inauditum securiore quadam mente iudicant.

Nempe quid per se planius et simplicius dici potest quam illud *carptum florem deflorescere?* Ac tamen magnam habent ea verba sententiae offensionem in eo qui hic est rerum conexu, si et versus insequens et comparationis vis ratioque inspiciuntur.

Quid enim? carptus flos oculos et sensus non amplius delectat possidentis et servantis? At 'puta florem — inquit Baehrens —, quem iam nolunt pueri puellaeque, abiectum nimirum in terra iacentem'.

Sed inculcat ea explicatio aliud acumen sententiae atque verborum ordo et vis concedit. Nam primum ubi de abiecto et humi iacente flore quidquam vel dicitur vel significatur? Porro eam sententiam, in qua primaria vis consistit, quod nulli pueri puellaeque talem florem, qualis antea significatur, amplius optant, Baehrens inverso ordine secundariam fecit addiditque ipse ultro eam rem tamquam praecipuam, quam mere excogitavit.

Flori igitur in saeptis hortis nascenti qui nulla vi laesus ad pulcherrimam pervenit perfectionem — ea enim describebatur in versu amisso quarto — et pueris puellisque factus est optatus, *idem* flos opponitur *tenuis* aliqua *unguis* culpa deflorescens: cui comparationi res ipsa adhibetur in versibus proximis hisce:

Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est;
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iocunda manet, nec cara puellis.

Idem autem flos eademque virgo significantur similesque condiciones, quae similibus efferuntur notionibus. Ita inter se respondent ex altera parte *optavere,* ex altera *iocunda manet* et *cara suis est;* porro *defloruit* et *castum amisit florem;* denique vocabulum *intacta* — quae notio transitum facit ad comparationem rei ideoque duplicem habet relationem — per collocationem contrarium fit superioribus illis *tenui carptus ungui* et proximis *polluto corpore.* Accurata igitur sententiarum et notionum in hac stropha responsio, qualem item in antistropha inveniemus, evincit

accurate inter se referri a poeta vocabula *polluto corpore* et *tenui carptus ungui.* Sed quid? *polluto corpori* respondet ‚decerptus' an ‚laesus' flos? pollutum enim corpus efficit, ut defloruerit, sicut laesus flos; decerpto flori nullus iam est in hortis locus, ubi tamen *idem* flos defloruisse dicitur; ‚decerptum' autem corpus, si venia detur huic insolito vocabulo, sive ‚consumptum' omnino nullum est.

Iam vero *carpendi* vocabulo, quacumque vi usurpatur, semper notio inhaerescit propria demendi vel minutim consumendi, numquam infringendi (= *knicken*); igitur ut inanitas vocabuli *tenui* tollatur, simul ut laedendi notio — non decerpendi — exprimatur, alia vox postulatur loco eius quae sententiam ita nunc corrumpit. Igitur ut lenissima emendatione sententiae sua reddatur concinnitas et nitor, nihil aliud restat nisi ut scribatur:

Idem cum tenui scalptus defloruit ungui,

quia sic demum omnia recte in his similitudinibus efferuntur, quae tenerrimam proponunt imaginem; sed haec importunae interpretationis Baehrensianae violentia deformatur. Littera autem *s* item intercidit ante *c* corrupta postea littera *l* in *r,* sicut in codice V in v. 20 et 26 tradebatur *qui caelo* pro eo, quod verum est et legitimum, *quis caelo* servatum codice T. Ceterum hunc versum cum sequenti omiserunt OT (Dresd. Laur. 33, 12), habet G (et ceteri codices), ut Fr. Schöll suspicatus est, e margine codicis V petitum.

Iam vero *tenui ungui,* quo scalptus defloruit flos, nunc demum suam recipit vim et proprietatem, qua usus est ex. gr. Calvus in fr. 18 M.

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
Scalpit,

(sed de huius loci obliquo sensu a Catullo alienissimo cf. Weicherti libri de poet. Rom. p. 134). Addo Horatii locum sat. I 8, 26 de insanarum mulierum magicis artibus:

Scalpere terram
Unguibus .... | *Coeperunt.*

De orationis forma e duobus enuntiatis constantis, quorum unum per *cum* praemittitur aut subnectitur, qualis hic in v. 46

et 47 adhibetur, in explanatione eiusdem structurae in antistropha usurpatae dissereter.

Nec minus in antistropha Pleitner l. c. p. 75—79 recte quaedam vidit, de quibus omnium interpretum communis fere est error, quod nimis longinquae res quaesitae sunt e versibus hisce de vite, quos Schwabe sic exhibet:

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo
Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Iam iam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolae, nulli coluere iuvenci:
At si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi coluere iuvenci.

Intellegitur enim ab omnibus illa virginis cum vite comparatio ita, ut ea quae in nudo arvo nascitur vitis numquam mitem educare uvam secundum Italicam vitium culturam dicatur, cui plerumque illud additur, vitem quoque ulmo adiunctam ad eiusdem terrae morem pertinere.

Quoniam enim hoc carmen ad Sapphus exemplar factum esse vulgaris erat opinio, primus Ernestus de Leutsch in *Götting. gel. Anz.* 1855 p. 1992 attulit locum Longi II 1 de vitium in Lesbo cultura hunc: *πᾶσα γὰρ <ἡ> κατὰ τὴν Λέσβον ἄμπελος ταπεινή, οὐ μετέωρος οὐδὲ ἀναδενδράς, ἀλλὰ κάτω τὰ κλήματα ἀποτείνουσα καὶ ὥσπερ κιττὸς νεμομένη· καὶ παῖς ἂν ἐφίκοιτο βότρυος ἄρτι τὰς χεῖρας ἐκ σπαργάνων λελυμένος.* Accedit Varro qui r. r. I 8, 5 vineae genus hoc nominat ‚in quo terra cubilia praebet uvis, ut in Asia multis locis’, praeter hos cf. V Hehn in *Kulturpfl. u. Haustiere*[3] p. 71 sq. 507 sq. Idem culturae genus et compluribus Germaniae locis institutum esse et vitium cultoribus commendari nuperrime in actis diurnis legi. Iam quod Leutsch negavit omnino ibi vites arboribus applicatas fuisse, id quidem non est verum, quoniam Sappho — ut V. Hehn l. c. p. 71 indicavit, B. Schmidt maxime commemoravit in proleg. p. LXXV — vocem *ἀμαμάξυδες* (v. fr. 150) adhibuit. Tamen Longi testimonio constitit Bonino l. c. p. 6 sq., non ita repugnante contra eam opinionem B. Schmidtio l. c. eum morem Lesbiis Asiaeque minoris in-

colis solitum, ‚qui mos nunc in omni fere Graecia obtinetur', in hoc loco in contrarium mutatum videri reddique potius a Catullo carminis Sapphici exemplo dimisso Romanam imitationem et Italicum morem.

Quid ergo est? si a Catullo id consulto immutatum esse in praesentia concedamus, simul illud concedere cogamur eum adeo infregisse ipsius sententiae vim, ut qualem in quibusdam regionibus vitium culturam revera fuisse certum est, ut vites humi reperent, talis culturae usu poetico, quia vel inutilis vel nulla videretur, diserte spreto rei sive ignoratione sive contemptione adductus nihil aliud ageret nisi ut infirmam redderet eam comparationem. Necessarium enim est eam comparationis rationem a vitis cultura petitae talem esse debere, ut quae comparentur non fortuita aliqua et inconstanti culturae genere aut proprietate nitantur, sed communem quendam omnibusque constantem eius generis morem ob oculos ponant.

Sed enim nunc quidem non agitur hic varia vitium cultura pro naturae diversitate diverse instituta, sed vera orationis interpretatio.

Primum igitur illud attendi debet Catullum non dicere de vitibus, sed de una vite, quae in nudo arvo i. e. arboribus vacuo ipsa vidua i. e. solitaria nascitur. Atque in hac re omnino omnis est error, quod vitem illam pro vitibus vineti alicuius acceperunt, ad exemplum fortasse plantarum, herbarum, frumentorum, quorum numerus singularis in usu est pro plurali cf. Kühner l. c. II p. 47 sq. Sed cum omnino opus sit hunc qui perhibetur usum recognoscere et locis accuratius distinctis denuo perlustrare, ut qui fines sint eius usus constituatur, tum maxime hoc sane loco nihil cogit ut *vitis* de pluribus, non de una intellegatur. Ita quod semel fit in una vite, id certe saepe fieri potest permultis locis, sed semper in una fit, quae *vidua nascitur*, non in permultis eiusdem loci vitibus, sicut in stropha cum uno eodemque flore una eademque virgo in duplici sorte comparatur. Vocabulum autem ‚viduus' certe hoc loco iam consulto accommodatur a poeta oppositioni per ulmum maritam factae, quae in sequentibus effertur, sed cum habeat natura sua sensum ampliorem, ipsa collocatione in initio notatum id ita accommodatur, ut amplior eius

vocabuli notio iis demum quae sequuntur artior fiat. Dicitur enim ut alibi ‚viduum cubile', ‚viduus torus' item ‚viduas noctes', a Catullo VI 6 nec minus ‚viduus pharetra Apollo' ab Horatio c. I 10, 11 quam de Cerere ab Ovidio am. III 10, 18 ‚viduum pectus amoris', atque arbores quoque vite carentes nominantur ‚viduae' ab Horatio c. IV 5, 30; ‚vidua vitis', etsi recte dicitur, alibi non exstat.

Sed cogit quoque totius loci ratio de una tantum vite interpretari. De una enim filia loquuntur puellae in prima stropha, in altera de una aequali, cui querelae ad Hesperum conversae iuvenes opponunt suam omnium de Hespero opinionem; in tertia stropha de uno eodemque flore, de una eademque virgine, cui ad illa redarguenda simili comparatione contrarius esse debet iuvenum sermo de una eademque vite, de una eademque virgine.

Porro ea vitis, quoniam in nudo arvo deserta nascitur ideoque neglecta,

50 *Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,*
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Iam iam contingit summum radice flagellum;

eam enim horum enuntiatorum condicionem esse et demonstrat grammatica ratio, quam supra explanavi, et ipsius comparationis finis ad virginem pertinens:

56 *Sic virgo dum intacta manet, dum inculta senescit.*

Nam quae humi repens in nudo arvo ut solitaria nascitur suae commissa naturae sive statui, ea nullo modo mites educare potest uvas, quia *contingit summum radice flagellum.* ‚Ideo — ait Varro r. r. I 31, 2. 3 K — in vitiario primitus cum exit vitis, tota resicari solet, ut firmiore sarmento e terra exeat atque in pariendis colibus vires habeat maiores. eiuncidum enim sarmentum propter infirmitatem sterile neque ex se potest eicere vitem, quam vocant minorem flagellum, maiorem et iam unde uvae nascuntur palmam'. Adde reliqua, quae vitis colendae causa fieri debent, velut pampinandi curam cf. Varro r. r. I 31, 1. 2, alia. Hoc loco quaedam minus nota, quae ad eam vitium repentium culturam nostratibus cultoribus nuper commendatam pertinent, excerpenda videntur e commentariolo illo, quod in actis quibusdam rusticis inveni: *die Schenkel liegen auf dem Boden und wer-*

den nur während der Vegetationszeit auf etwa 50 Cm. lange in den Boden gesteckte Holzgabeln, die überall in jeder Hecke und jedem Busche leicht zu erhalten sind, aufgelegt ... Der Schnitt wird zeitig im Frühjahr vorgenommen und nachdem die erste Bodenbearbeitung ausgeführt ist, werden die Schenkel auf die oben beschriebenen Gabeln gelegt. Während des Sommers werden die aufrecht wachsenden Triebe auf etwa zwei Blätter eingekürzt oder ausgebrochen und der Boden wird .. vom Unkraut rein gehalten, dies sind bis zur Lese die einzigen Arbeiten, die der Weinberg verursacht. Igitur quam proponunt iuvenes vitem,

53 *Hanc nulli agricolae, nulli coluere iuvenci:*

qui versus mox mutatis mutandis rebus redit.

Ea autem comparatio, etsi probat poetam qui talem proposuerit, vitium naturam et cultum bene nosse, tamen nec ad singularem Lesbiam aliquam nec ad Romanam vitis culturam ita pertinet, ut sine ea cognitione cognosci ipsa non possit, sed conveniens est uni cuique regioni, in qua quidem vites nascuntur, et confert tantum vitem, cui cultura adhibetur, cum vite inculta.

Sed pergamus ad versus 54 et 55:

At si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi coluere iuvenci.

Ex aequabilitatis lege, qua omnes partes strophae et antistrophae tenentur, illud *forte* respondet notioni in stropha per *carptus* vel potius, ut emendavimus, per *scalptus* indicatae; sicut enim non necesse est eum florem ungui laedi, sed si laesus sit, deflorescere, item viti si forte escendit ad ulmum applicata, longe alia obtingit sors atque illi viduae. Quae est ea sors? Apparet illud indicari, talem vitem non neglegi, sed observari et coli a multis agricolis et si dis placet a bobus.

Ac primum his rationibus defenditur *forte* a tentamine olim facto, cum Ramler, quem secutus est Baehrens, ‚forti' reponeret i. e. ‚robustae', qua notione sane sententia corrumpitur. Nam ut illa *vidua in nudo arvo vitis* una tantum est et solitaria, item hic una vitis et significatur et debet significari, diversa ab illa tantum hac re, quod marita facta est ulmo. Proponunt igitur iuvenes imaginem illi priori contrariam: neglegitur prior illa vitis ab omnibus omnique caret cultu; colitur et cum cura tractatur

haec. Verba autem nascendi et colendi item ut hic iunguntur a Varrone r. r. I 2, 5: ‚Fundanius, Em ibi tu quidquam nasci putes posse aut coli natum?'

Eum fuisse morem hominum et opinionem hinc discimus neque nos ipsi aliter sentiremus, si Hyperboreis vites agrestes a natura sua escendentes ad arbores conspicari domesticum esset. Nec si in stropha *flos* nominatur et describitur eius condicio, de artificioso hortorum cultu cogitari debet nec in *vitis* nomine vineta intellegi licet in antistropha; qui similis error, si illic admissus non est, hic tamen admissus interpretationem perturbavit.

Atque etsi in verbis *ulmo coniuncta marito* masculinum genus ferri posse videatur, tamen insolita est ea locutio et inaudita; deinde si *marita* reponamus, quod praebet T, cum offensioni tamen illud sit, quod ulmi et viri similitudo (cf. v. 57 sq.) parum notetur, suspicari cogimur in codice V ‚solita litterularum *o* et *e* in hoc libro confusione' — ut ait Baehrens ad c. LXVIII[a] 27 cf. exempla, quae K. P. Schulze in Herma 1888 p. 579 sq. collegit — *marito* falso scriptum fuisse pro ‚marite' i. e. *maritae*, quod Heinsius dudum commendavit.

Porro *iuvenci* nullas hic habent partes. Ea enim agricolarum et boum societas, quam propter vinetorum solum per boves versum intellegunt vulgo, velut H. Magnus in *Zeitschr. f. d. Gymn.-W.* 1878 p. 502 et Fr. Schöll in *N. J.* 121 (1880) p. 492, hic et ab ipso rerum conexu reicitur et tollit omnino responsionis necessariam aequabilitatem, quae a strophae ratione postulatur, ubi in v. 42 et 44 *pueri* et *puellae* consociantur. Qua de causa nec ‚bubulci' nec ‚coloni' inferri possunt, sed aliud hominum genus utriusque sexus nominari debet. Iam si sequimur vestigia codicum, illud opinor nanciscemur, quod desideratur: *iuvenci* quidem uterque codex retinuit et T et V, sed in versu 53 T praebet *multi acoluere* (de V i. e. de G et O vide apparatum), et in versu 55 tradebatur in V *multi accoluere*, in T item ut altero loco exstat *multi acoluere*. Fuit siquid video quondam in codice archetypo *multae coluere iuvencae*, quod idem Pleitner l. c. p. 76 scribendum esse censuit.

Iam si apponuntur agricolis *iuvencae*, non solum hac ipsa horum vocabulorum vicinitate, praesertim cum illud praecedat,

sed etiam responsione antistrophae et strophae bis notata definitur et excusatur iuvencarum notio de agricolarum vel uxoribus vel filiis intellegenda, de quibus Pleitner quoque l. c. p. 76, in aliis interpretationis suae rationibus sibi parum constans, hic recte interpretatus est. Ac si Horatius in c. II 8, 21 dicit ‚te suis matres metuunt iuvencis', filias significat matribus prius coniunctissime nominatis; pari modo ad notionis suae angustias redigitur apud Catullum iuvencarum significatio et verborum ipsa collocatione et responsionis lege. Addere liceat Pleitneri verba l. c. p. 75 haec: *bald diese, bald jene von den Leuten des Herren lassen in einer langen Reihe von Jahren dem einsam stehenden Weinstock die gehörige Pflege zukommen.*

Huius vero similitudinis simplicitas et venustas, ut res ipsa ad collationem adhibita non est propria moris Romani, item abhorret a poesi Alexandrina, unde Bonin l. c. p. 7 originem eius repetendam esse opinabatur. Scilicet imago illa vitis ad ulmum applicatae, quae necessitudinem inter sexum infirmiorem et validiorem intercedentem specimine aliquo naturae cum inaffectata veritate simpliciter proponit, ex huius viri iudicio simillima est ei, quam Antipater Sidonius in Anthol. IX 231 effinxit:

Αὔην με πλατάνιστον ἐφερπύζουσα καλύπτει
ἄμπελος· ὀθνείῃ δ' ἀμφιτέθηλα κόμῃ,
ἣ πρὶν ἐμοῖς θαλέθουσιν ἐνιθρέψασ' ὀροδάμνοις
βότρυας, ἡ ταύτης οὐκ ἀπετηλοτέρη.
Τοίην μέντοι ἔπειτα τιθηνείσθω τις ἑταίρην,
ἥτις ἀμείψασθαι καὶ νέκυν οἶδε μόνη.

Platane und Weinstock — inquit — *stehen hier ganz im Verhältnis eines liebenden Paares, gerade so wie bei Catull die Ulme und die Rebe* affertque idem in eandem rem Goethei et elegiam, quae *Amyntas* inscribitur, et sententiam hanc:

Epheu und ein zärtlich Gemüt
Heftet sich an und grünt und blüht,
Kann es weder Stamm noch Mauer finden,
Es muss verdorren, es muss verschwinden.

Mihi quidem haec omnia in hac rerum quadam similitudine tamen dissimillima videntur reditque ea dissimilitudo ad illam notissimam generis diversitatem, quae nativae est poeseos sive ipsam

naturam sequentis reddentisque et sententiosae sive sensus suos in ipsam rerum naturam cum affectu insinuantis transferentisque. Sed Catullus, in quo Bonin l. c. *sinnige Hingabe an die Natur* videre sibi videbatur, nullo verbo ipsam naturae speciem et veritatem, quam reddidit, supergreditur, quod ipsum maxime hic versus (55) prodit, neque alia nisi vera et proxima et quae unicuique nota sunt suavi oratione tangit, ut ea imago non Alexandrina esse possit, sed poetriae Lesbiae indolem et colorem prae se ferat. Neque quidquam amplius ei suspicioni repugnare constitisse nunc mihi videtur.

Iam rei quae comparabatur additur simile hisce versibus expressum:

56 *Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit:*
Cum par conubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis et minus est invisa parenti.

Huius scripturae de veritate nemo nunc videtur dubitare, nisi Schwabe commemoravit in ultimi versus adnotatione Baehrensii coniecturam inutilem, de qua posthac videbimus. Sed versus 56 memoriam esse incolumem vulgo existimant; in quo si nunc fateor corrupta esse duo vocabula, nimis fortasse temerarius videar et turbare ea, quae dilucida sint. Nihilo minus certissimis argumentis coactos spero de iisdem dubitaturos esse vocabulis, qui haec legent, de quibus iam Pleitner l. c. dubitavit, cuius rationes in usum meum convertam. Nostro tamen iudicio nos stetisse siquis eius commentationem contulerit ipse videbit.

Ac primum *intacta* neque cum praecedenti notione *coniuncta maritae* neque cum insequenti *cum par conubium adepta est* apte ita conferri potest, ut eodem modo quo prius *intacta* in versu 45 item hic transitum aliquem faciat a rebus comparatis ad res ipsas, quae comparationibus illustrantur. Neutri enim notioni contraria est eius vocabuli vis. Aptum est id vocabulum in stropha, ubi integritas virginis agitur; hic est ineptum neque quidquam habet, quo referri possit, quoniam non in integritate virginis sententiae acumen nititur, sed ut luce clarius est in conubii sorte. Ad neglectae enim vitis solitariae similitudinem pertinet innupta virgo, ad vitem ulmo maritatam ea quae conubii particeps facta sit, ad neutram vero rem *intacta* virgo. Igitur *intacta* corruptum est.

Iam Quintilianus in institut. orat. IX 3, 16 ut particularum ‚dum .. dum' usum grammaticum exemplo aliquo ex antiquo sermone petito indicet, in eo capite quod est de figuris haec apponit: *Catullus in epithalamio ‚dum innupta manet, dum cara suis est', cum prius ‚dum' significet ‚quoad', sequens ‚usque eo',* quod testimonium vulgo ad versum 45 hunc refertur:

Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est.

Cum autem vocabulum *intacta* hic certissimum sit, maxime propterea, quod sententiae incolumitas et veritas consistere non potest nisi in hoc ipso vocabulo, pervertitur autem, si reponas *innupta*, errasse Quintilianus videtur in testimonio afferendo. Error igitur neglegentia quadam memoriae ortus esse videri potest, sed eius causa nisi manifestior aliqua indicari potuerit, plusve minusve tamen videbitur inexplicabilis. Iam qualis notio in v. 56 desideraretur, iam significavimus; igitur quod vocabulum nunc neque hic neque in respondenti versu 45 traditur, id ipsum reponendum est: *innupta* pro ‚*intacta*'. Librarius vel errore legendi pro *inupta* scripsit *intacta* vel vocabuli prioris memor.

Sed mendo quoque affecta est vox *senescit*, etsi tolerabilis multis videatur. Quae enim virgo innupta manet, ea inculta senescit i. e. si Baehrensio credis, ‚tamquam ager desertus fructus non profert, sine usu et honore fit anus'. Sed quae colendi similitudo hic intellegatur, si non praecedentia, at certe proxime insequentia unicuique declarant; colitur a viro minusque invisa est *parenti* i. e. matri, quia hic quoque, sicut in reliquis strophae et antistrophae locis, masculino sexui femininus adiungebatur. Eam enim intellegi a poeta cum illa aequalitas tum viri commemoratio et huius ipsius vocabuli collocatio ordoque demonstrat. Atque, ut de hoc vocabuli ‚parens' usu locos quosdam addam, primum affero locum memorabilem Tac. ann. I 14 hunc: *multa patrum et in Augustam adulatio. Alii parentem, alii matrem patriae appellandam . . censebant.* Dio Cassius LVII 12 reddit sic: *πολλοὶ μὲν μητέρα αὐτὴν τῆς πατρίδος, πολλοὶ δὲ καὶ γονέα προσαγορεύεσθαι γνώμην ἔδωκαν.* Iam Nero, qui ‚matrem' occiderat (Tac. ann. XIV 9), mox ‚morti parentis illacrimans' (l. c. XIV 10) commemoratur. Item l. c. XIII 20 eadem primum ‚mater', tum ‚parens' nominatur. Et l. c. XIII 13 Tacitus ‚principum coniuges

ac parentes' nominat, ubi 'parentes' de principum matribus dici coniugum mentio antea facta indicat. Igitur non frugifer ager, ut ille opinatus est, sed honestior virginis nuptae condicio quam innuptae hic a iuvenibus praedicatur. Sed de his duobus versibus 57 et 58 statim suo loco disputabitur.

Praeterea *eadem vitis* primo in arvo solitaria proponitur, deinde ulmo maritata; itemque eadem virgo primo innupta, mox conubium nacta; de senescente igitur sive de ea, quae anus fit, oratio est nulla. Nulla virgo, dum innupta manet, tamdiu *senescit*, quamquam natu maior fit. Sed enim ipsa oppositio inter eam facta quae innupta ideoque inculta manet et eandem, quae maturo tempore viro nupsit ideoque carior fit viro matrique, necessario cogit, ut dicatur, cui sit inculta. Talis vero dativus nec deest in v. 45 nec hic deesse potest. Ergo absurdum est illud *inculta senescit* et reponendum est *inculta suis est*, unde quam facile scriptura illa *senescit* evadere potuerit vix opus est significare. Pleitnerum easdem emendationes 'innupta' et 'suis est' l. c. p. 77. 79 commendasse addo.

Iam si hoc constiterit, habemus eam refutationem puellarum recuperatam, qua ut iuvenes usi sint responsionis lege efflagitari putandum est; puellarum enim sententia et sermo

Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est

excipitur scripturae necessaria correctione adhibita hoc modo:

Sic virgo, dum innupta manet, dum inculta suis est.

Quintiliani igitur testimonium supra allatum, quod antea quidem nec ad illum versum 45 nec ad hunc 56 iure referri poterat, nunc hoc versu emendato erroris sui habet excusationem; certe neutrius memoriam accurate tradidit, sed quod ex utroque versu partem dimidiam excerptam coniunxit, huius erroris origo eam habet veri similitudinem, qua id testimonium carebat, quod neutri versui congruens erat. Quintilianus igitur aut ipse memoria lapsus erravit aut alterum illud factum esse potest, ut quoniam ab hoc et ab illo versu eius usus grammatici exemplum petere licebat, hos duos locos una adhiberet 'dum intacta manet, dum cara suis est' et 'dum innupta manet, dum inculta suis est', sed postea ea duo testimonia librarii alicuius culpa in archetypo in unum contaminarentur.

Restat adhuc, ut versus 58 integritatem defendam de virgine maritata dicti

Cum par conubium maturo tempore adepta est,
58 *Cara viro magis et minus est invisa parenti* —

quem Riese et Baehrens iniuria tentaverunt. Hic vero tamquam si contra rem sophistae alicuius vafri veniret vel de optimo consilii genere in uxore ducenda ageret, sententiam simpliciter et concinne propositam ita cavillatur, ut ea perversa evadere debeat, qui error e vi coniunctionis ‚cum' male intellecta ortus est. Eius enim coniunctionis vis hic ea est, ut actionem indicet, quacum et re et tempore ita congruens est altera actio, ut per illam simul haec efficiatur sive in ea constet ‚*damit dass*'; quam vim notare attinet, quia vulgo interpretes tantum de ‚tempore', quod dicitur, ‚*wenn*' intellexerunt.

Quem usum satis apte explicavit et exempla collegit Kühner *ausf. Gr. d. lat. Spr.* II p. 880—882, profusa est nec dilucida Draegeri explanatio *hist. Synt.* II² p. 546 sq. et alibi, qui vestigia premit E. Hoffmanni *die Construction der lateinischen Zeitpartikeln*² 1873, sed ita ut viam rationemque ab hoc viro sagacissimo initam parum perspexerit. Pertinent huc eius libri p. 74 sqq. et p. 126 sqq. Sed quoniam de tota eius structurae ratione et origine disserere hic non est idoneum nec necessarium, nunc eam tantum rationem paucis significabimus, quae nondum cognita loci Catulliani interpretationi inserviat.

Queruntur igitur puellae de virgine, quae per nuptias florem amittat; hoc ipso facto abalienari eam a pueris puellisque. Hanc ‚caecam virginitatis defensionem' appellat Baehrens et ‚futtilem argumentationem', contra quam ‚acrem puellaris cantus censuram instituere iuvenes' ab eodem dicuntur. Sed equidem aliter sentio, non quod id quod aliis acrius videtur mihi lenius videatur, sed quod illae Baehrensii opiniones falsae sunt. Molliter enim et placide eam querelam iuvenes ita dissolvunt, ut dicant: immo hoc ipso conubio, quod par et maturo tempore factum nominatur — de aliis omnino non cogitant —, virginem fieri viro caram vel potius magis caram minusque matri invisam, quae ‚plenis nubilem annis' filiam collocatam vult. Cum Homero dicere liceat

αὔτως φιλτέρη ἀνδρί, cum Thuringis qui proprie et dialectice de pulchra aliqua re dicunt *das ist nur schön* nos vertamus *nur teurer* et *nur angenehmer* i. e. *minus invisa.*

Igitur ‚paris' conubii et ‚maturi' temporis condicio non ita cum singulari quadam aut praecipua vi notatur, ut exempta e ceteris condicionibus, quae cogitari possunt, una sit his opposita, sed poeta eam unam et solam speciem conubii, quam per res attributas describit, ut communem quandam et iustam sine ulla oppositionis vi in argumento ponit, quod argumentum ea tantum ipsa condicione quam prodit nititur nec mutabilis omnino cogitatur aut a fortuitarum adventiciarumque rerum varietate pendens. Ergo ea condicio, quae proponitur, ab omni diversitatis ratione seiuncta est eademque est secreta ab aliis condicionibus.

Et est ea omnino omnium communis ratio eiusmodi comprehensionum, quae ex enuntiato constant primario, cui secundarium membrum per illud ‚cum' adscitum vel antecedit vel subnectitur, et eam vim habent congruentiae; scilicet in hac ipsa grammatica eius structurae natura et necessitudine illa ratio consistit. Sed quae amplior est de coniunctione ‚quom' quaestio et latius dispersa, ea singularem suum postulat locum. Ad id quod volumus evincendum satis est hic illud posuisse ea congruentiae notione, quae una significatur, alias omnes condiciones et rationes, quae intercedentes inter has duas actiones cogitari possint, omnino omissas relinqui; quod quatenus nunc necesse est satis firmatur, ne hoc loco longi simus, ea loci Catulliani interpretatione vel his paucissimis e magna exemplorum multitudine excerptis: velut Caesar b. g. V 21 scribit *oppidum Britanni vocant, cum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt,* ubi ‚silvae non impeditae' omnino non in cogitationem cadunt earumque munitio a principio excluditur ab ipsius scriptoris mente; item in hoc loco Ciceronis ad fam. IX 16, 1: *omnia sunt incerta, cum a iure discessum est* nulla est oppositio iniuriae in re praedicata cogitanda.

Sed Baehrens locum Catullianum ita interpretatur, ut illi condicioni per ‚cum' significatae falso et iniuste alteram opponat hanc: si non par conubium nec maturo tempore adepta est. Quid ergo? ‚ducit ille — inquit — suo arbitrio feminam, non precibus adductus eorum qui filiae annis provectioris curam abicere volunt.

Ita qui libere consortem ut in ceteris ita aetate convenientem sibi elegit, quomodo magni in ea aestimare potest id quod ipse bene respexit?' Quid? si per eandem oppositionis rationem aliam et diversam condicionem rei attributae in puellarum cantus versibus 46 et 47 substituere velis:

Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iocunda manet nec cara puellis,

monstruosa evadat sententia.

Vel hi loci explicati sufficiunt ad eam congruentiae rationem cognoscendam, qua in definienda philosophiae auxiliis paratis nunc facile caremus.

Iam quod Riese vituperat, illud *magis* et *minus* non ita apte a poeta adhiberi, quam non verum sit apparet. Immo dicendum est Catulli arte difficultatem quandam sententiae verborum collocatione sollerter evitatam esse. Collocat enim in initio eius versus notionem *cara viro* (*cara* est in M cf. K. P. Schulze in Herma 1888 p. 589; quae correctio librario debetur); virginem enim per nuptias caram fieri viro contra puellarum crimina afferunt; et *magis* caram simulque *minus* invisam matri. Nimirum filia magis colitur et minus neglegitur sive minus molesta est, cum maritum nacta erit. Nam tum demum, ut recte sensit H. Magnus *N. Jahrbb.* 1876 p. 403, aliquo loco haberi solet. Vides quam non ‚acriter' id opponant iuvenes et quam importune omnes eas sententias tractaverit K. Pleitner l. c. p. 64, ut hic e pluribus nominetur, qui haec narrat mirabilia: *diesen in den Gesängen der beiden Chöre scharf hervortretenden Gegensatz der pessimistischen Auffassung desselben Vorganges von Seite der Jungfrauen, die nur schwarz sehen, und der optimistischen der Jünglinge, denen alles in rosigem Lichte erscheint* ... — Itaque tacere licebit de huius aliorumque coniecturis, quibus versus 58 corruptus est.

III.

Iam si totius carminis ordinem et partitionem perlu- in prima parte scaena et actio ipsis sermonibus reprae- ·, quod M. Haupt de Graecorum tragoediis comoediis-

que dixit (op. II p. 460), idem hic valeat. In hoc enim carmine ‚nihil fit, quin fieri simul indicetur oratione'. Sequitur tum hymenaeus sive carmen amoebaeum, in quo tribus stropharum paribus duo chori contrarios inter se cantus tamquam litigantes committunt, ut in eo, quodcunque queri vel incusare puellae coeperunt, pari et omnibus partibus illi cantui ex aequo opposita oratione laudare vel redarguere iuvenes sibi proposuerint. Nec longius arcessuntur res, de quibus litigatur, sed ad simplicitatem vitae rusticae et ad nuptiarum vulgatam consuetudinem pertinent, ad vesperum, ad noctem, ad castum puellae florem, denique in fine carminis ab utrisque, qui antea diversa voluntate distracti videbantur, id certamen concordi sensu componitur, dum puellae et iuvenes virginem de virginitate marito debita adhortantur.

Ita per omnes partes nullum exstat vestigium, unde appareat choros illos ex loco suo se commovisse aut maritum cum nupta ab una domo ad alteram comitatos esse, quod item intellexit Bonin l. c. p. 8; sicut id quidem in hymenaeo illo fit, quem Homerus memorat Σ 491—496, ubi ‚cum compluribus simul urbis locis nuptiae agantur, *πολὺς ὑμέναιος* (collective) oritur et *αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχουσιν*' (cf. E. Graf de Graecorum veterum re musica p. 44). Immo versus 9 recte explicatus (cf. supra p. 33 sq.) demonstrat exspectari ab utrisque per caespitem ita diffusis, ut ab una parte puellae ab altera iuvenes locis disiunctis discumbant, maritum uxorem domum suam deducentem, quod par cum puellae conspexerint, cantus certamen incipiunt; deinde inter ipsum cantum par appropinquat; denique ubi in locum advenit, cantus ipsius virginis allocutione apte clauditur.

Cenaverunt igitur pueri puellaeque non in novi mariti domo, sed ante domum; nam de novae nuptae domo paterna omnino cogitari non potest. Iam si fidem habemus quorundam doctorum argutiis dictitantium apud Graecos cenam nuptialem, cuius maritus et nupta participes essent, in novae nuptae domo paterna locum suum habuisse et maritum in deducentium numero fuisse, rursus apud Romanos a novo marito domi ipsius exspectatam fuisse virginem, quod appareat quoque e c. LXI 171 sq. cf. Baehr. comm., hoc Catulli carmen nec ad illos pertinet nec ad hos; utris igitur convenit, quoniam alteris utris convenire debet? Ac de

nuptiis sive Rossbachii adsciscitur liber sive citatur C. Fr. Hermann, nihil inde illi efficiunt, nisi ut vanam putent huius carminis actionem. Audias quaeso talia dicentem aliquem, qui utroque libro adhibito haec profert: *müssen wir uns demnach das Haus des Bräutigams als den Schauplatz der Handlung denken, so erkennen wir darin eine Fiktion des Dichters, die den Zweck hatte, das ganze Gedicht dem Verständnisse des römischen Publikums recht nahe zu rücken.* Idem temere vituperavit in Koechlyo, viro egregiae prudentiae, quod sine ullo iudicio confunderet graecos romanosque mores, sed quod ipse finxit, inane est.

Quid constet de cenae loco vidimus, Baehrens quoque, qui omnia ad mores romanos transfert, itidem iudicavit. Iam vero quid tandem accepimus de Graecorum cenis nuptialibus? Nihil nisi ut pauca nos scire fateri debeamus. Quid porro de Lesbiorum moribus huc pertinentibus? nihil aliud nisi quod ex hoc ipso carmine apparet. Item de carminis genere Baehrens ad c. LXI p. 322 recte iudicavit; est enim id ex hymenaeis, qui prout vel in deductione ipsa a comitantibus choris vel a stantibus eodemque loco manentibus cantabantur, hinc ipsi varia argumenta praebebant, non ex epithalamiis. Abest autem hic omnis fescennina iocatio, qualem carmen nuptiale LXI continet, quod, cum altius spectet, rem inde a vitae publicae privataeque fundamentis repetit et ubique ad Romanos mores accommodatum est; hic tamen nusquam ab istis moribus quidquam petitum est, etsi Baehrensio compluribus locis id esse factum videtur. Nam *desponsa conubia* (v. 27) is romana intellegit ‚sponsalia', qua in notione etiam ad v. 28 subtilius ac violentius distinguit ‚pactum' ab ipsis sponsalibus, quae illud praecedere solebant; deinde in v. 32 *abstulit* ad rapinam fictam novae nuptae Romanis usitatam refert, de quo loco supra p. 55 dictum est; tum ‚tradendi' vocabulum in v. 60 de coemptione romana interpretatur, qua uxor marito in manum convenit; denique in v. 65 de dote tantum romana cogitat.

Quid ergo? quae romanis vocabulis significantur, idcirco ea Romanorum propria erant? prorsus eaedem res item ad Graecorum consuetudinem pertinent atque Reiniani libri loco de iure privato, siquidem opus esse videbatur, laudandus erat C. Fr. Hermanni liber de antiquitatibus privatae Graecorum vitae, maxime

§ 30. Ipse Baehrens concedit ‚tradendi' verbum etiam ‚interdum simpliciter valere *nuptum conlocare*'; item reliqua vocabula nequaquam de romanis tantum moribus accipi debebant.

IV.

Iam illud manifestum est dispositionem et explicationem rerum argumentorumque per totum carmen institutam eam esse, ut ad graecum aliquod exemplar id referri debeat, non Alexandrinae aetatis, sed ipsius Sapphus, quod primus suspicatus est Isaac Vossius in edit. p. 189 et exploratissimum est C. Aldenhoveno, qui in censura interpretationis Heyseanae denuo a. 1889 editae nuperrime in actis hebdomadariis *Die Nation* 1889 p. 747 hoc carmen nominavit *den prachtvollen Wechselgesang der Jünglinge und Jungfrauen am Hochzeitabend, welcher uns die alterthümlichen Bilder Sapphos in ihrer einfachen Schönheit vor Augen führt.* Inventio enim et ipsa oratio tam decentem simplicitatem habent tantamque venustatem et claritatem placida arte ornatam, ut etiamsi quae supra firmavi testimonia originis Sapphicae deessent, nemini dubium esse deberet Catullum non solum ‚in universum secutum esse sive Sappho sive quemcunque alium poetam Graecum', ut Baehrensio videbatur, sed in singulis rebus et verbis a Graeca poesi pendere. Ac si antea difficilius fuit — ut iure idem putabat — iudicare de totius carminis consilio et compositione, nunc id obtinuisse mihi videor, ut utrumque constet. Consilium autem eius carminis, quod non ad verarum nuptiarum usum a Catullo conversum fuisse Baehrens recte animadvertit, eleganti iudicio O. Ribbeck l. c. p. 327 appellavit *eine rein griechische Studie, [vorzugsweise] nach einem Original der Sappho,* qui de oratione quoque ibidem p. 328 apte iudicavit *der Stil ist einfach und naiv: meist kurze Satzglieder aneinandergereiht und gegenübergestellt, schlichte Gedanken und ländliche Bilder, aber von leuchtender Klarheit und Schärfe.* Atque id poema, cuius consilium in scaena tam angusta et actione tam simplici consistit, habet aliquid, quod comparari possit cum illa Goetheanae poesis indole, quae non ad imagines multarum rerum effingendas, sed

maxime ad amplas et perspicuas eiusdem rei reddendas formas spectat.

Epithalamiorum autem genus et hymenaeorum prima Sappho arte excoluit; cuius si ‚hymenaei' proprio nomine non nominantur, eos epithalamiorum appellatione comprehensos fuisse certum est cf. Bernhardy *Grundriss d. griech. Litt.* II 1[3], p. 644. ‚Ὑμέναιοι' nominantur quidem a Demetrio περὶ ἑρμ. c. 132, ubi quibus in rebus consistat ea orationis virtus, quam *γλαφυρὸν λόγον* appellat (*ὁ γλαφυρὸς λόγος χαριεντισμὸς καὶ ἱλαρὸς λόγος ἐστί* c. 128), singillatim persequitur: *τὰ μὲν οὖν εἴδη τῶν χαρίτων τοσάδε καὶ τοιάδε. εἰσὶ δὲ αἱ μὲν ἐν τοῖς πράγμασι χάριτες, οἷον νυμφαῖοι κῆποι, ὑμέναιοι, ἔρωτες, ὅλη ἡ Σαπφοῦς ποίησις. τὰ γὰρ τοιαῦτα, κἂν ὑπὸ Ἱππώνακτος λέγηται, χαρίεντά ἐστι, καὶ αὐτὸ ἱλαρὸν τὸ πρᾶγμα ἐξ ἑαυτοῦ· οὐδεὶς γὰρ ἂν ὑμέναιον ᾄδοι ὀργιζόμενος, οὐδὲ* .. sed ‚hymenaeorum' nomen hic ad carminum argumenti quasdam partes redigitur, non operis alicuius titulum indicat; talisque hymenaeus (cf. v. 4) est Catulli carmen amoebaeum, in quo item e cantantium vultu non ira eminet, sed suavitas oris. ‚Epithalamium' Catulli carmen vocat Quintilianus l. c., ‚Calvus in epithalamio' affertur a Prisciano I 170, 10, Sapphus autem epithalamiorum peculiarem librum fuisse auctor est unus Servius Verg. Georg. I 31 *generum vero pro marito positum multi accipiunt iuxta Sappho, quae in libro, qui inscribitur 'Ἐπιθαλάμια, ait χαῖρε ...*' (= fr. 105 B[4]). Atque in tam angusto utriusque generis discrimine, quamquam aliquod fuit, non solum difficillimum fuisse unum genus ab altero acriter separare, sed etiam inutile fere ac nullius momenti per se apparet. Iure igitur hoc carmen a loco, ubi cantatum est, ‚epithalamium' vocari potuit in codice T nihilque efficitur tali iudicio, quale Bonin l. c. p. 9 tulit: *es ist weder ein echter Hymenaeus, der während des Festzuges gesungen wird, noch ein echtes Epithalamium, das vor dem Brautgemache gesungen zu werden bestimmt ist.*

Sed hinc a Catulliano carmine, quod equidem conversum fuisse arbitror e Sapphus uno aliquo hymenaeo — nam vel propter concinnitatem prorsus incredibile est id e duobus conflatum fuisse — paulo longius Sapphicae poeseos vestigia sequi nunc

attinet, quia sperare mihi videor similitudines alias nonnullas inde evasuras esse, non solum in rebus quibusdam, sed, id quod gravius est, in rerum ordine sententiarumque conformatione, ut inde quoque eius carminis Sapphica origo et indoles cognoscatur.

Ac primum quidem similitudo, quam statuo, pertinet ad sermones illos tamquam litigantium contrarios.

Fragmentum 93 B[3] (= scholiast. Hermog. VIII 883 Walz) hoc est:

Οἶον τὸ γλυκύμαλον ἐρεύθεται ἄκρῳ ἐπ' ὔσδῳ
Ἄκρον ἐπ' ἀκροτάτῳ· λελάθοντο δὲ μαλοδρόπηες,
Οὐ μὰν ἐκλελάθοντ', ἀλλ' οὐκ ἐδύναντ' ἐπίκεσθαι

quem locum respicit Longus pastor. III 33: *καὶ ἕν μῆλον ἐπέπεπτο ἐν αὐτοῖς ἄκροις ἀκρότατον, μέγα καὶ καλόν, καὶ τῶν πολλῶν τὴν εὐωδίαν ἐνίκα μόνον. Ἔδεισεν ὁ τρυγῶν ἀνελθεῖν, ἠμέλησε καθελεῖν· τάχα δὲ καὶ ἐφυλάττετο τὸ καλὸν μῆλον ἐρωτικῷ ποιμένι·* unde evincitur, cum Longi verba reliqua respondeant iis sententiis quae tribus illis versibus continentur, quartum aliquem versum additum fuisse, in quo dicta essent ea, quae verbis extremis *τάχα δὲ* et q. s. describuntur. Sed quid? primi duo versus num eiusdem esse possunt, qui tertium cantat? minime, nam qui illos dicit, hunc se ipse corrigens vel potius irritum faciens dicere non potest; sed ipsa orationis contrariae festivitas indicat eos versus cum quarto amisso inter duos cantantes vel singulos vel choros diversarum partium inter se quasi litigantium distributos fuisse i. e. inter adulescentium et puellarum duos choros. Idem vero certandi genus hic apparet, quod in Catulli carmine amoebaeo videmus eademque sive responsio sive oppositio dicenda, quae ibi in initio binis, tum bis binis inter se oppositis hexametris redditur.

Idem certamen leniter et iocose commissum deprehenditur in fr. 91 B[3] (= Demetr. *περὶ ἑρμ.* c. 168), cuius fragmenti leges metricas nuper firmavit H. Usener libro eo, quo nova scientia artis metricae condita videtur (*altgriechischer Versbau* p. 97). Docuit versum longum e duobus brevioribus, quales hic habemus, commissum esse; eius autem commissurae vestigia accurata quaestione etiam apud Homerum latentia detexit. *Hier haben wir* — inquit —

die alten kurzverse noch leibhaftig. Je zwei derselben sind schon in nähere beziehung zu einander gesetzt, indem der erste mit hebung, der zweite mit senkung einsetzt; aber beide halten ihre selbständigkeit fest: ein vordervers (v. 3) vermag noch vier hebungen mit klingendem ausgang zu tragen. Der wechsel der senkungen ist geregelt, aber nicht soweit, dass nicht ein trochäischer fuss (v. 1. 3) den daktylischen vertreten könnte. Distribuendi autem sunt versiculi illi breviores hoc modo, quem litterulae appositae indicant:

a Ὕψι δὴ τὸ μέλαθρον Ὑμήναον
b Ἀέρρετε τέκτονες ἄνδρες Ὑμήναον
a Γάμβρος ἔρχεται ἶσος Ἄρευι (Ὑμήναον)
b Ἄνδρος μεγάλω πόλυ μείζων (Ὑμήναον)

una ex parte laudatur thalami altitudo sequente ‚meshymnio' (cf. Hephaest. περὶ π. c. 8. Usener. l. c.), quod totus chorus (a) cantat; ergo priora verba aut ab una tantum persona, quae pro reliquis interpres est, aut — id enim non minus huic loco convenit — item ab uno choro (a) cantantur. Immo — inquit adversa pars (b) — altius extollite sive excitate thalamum, scilicet quia humilior est, addito iterum meshymnio. Tum denuo illinc: ecce gener adventat Martis similis, inclamato meshymnio (quod suppletum est); hinc id corrigitur: immo, uno aliquo homine magnae staturae magis procerus (tumne iam valebat illud longum hominem raro sapientem esse?) repetito iterum meshymnio.

Sed quod ab Hephaestione l. c. meshymnium vocatur, id potius unius cuiusque versus clausula sive additamentum fuit. Hinc apparet longi versus speciem e chorico cantu duarum partium inter se respondentium et excipientium coaluisse magis quam poetae alicuius consilio et arte commissam fuisse. Omninoque choricus cantus primaria est poesis apud Indogermanos forma, quod idem Westphal *Metrik* II² p. 255 significat, cum primariam formam strophicam fuisse contendit.

Nam si Demetrius l. c. bene animadvertit in iis quae affert Sapphus fragmentis id immutatum corrigi, quod antea dictum esset (ἔστι δέ τις ἰδίως χάρις Σαπφικὴ ἐκ μεταβολῆς, ὅταν τι εἰποῦσα μεταβάλληται καὶ ὥσπερ μετανοήσῃ· οἷον ὕψον et q. s.),

ea Sapphus verba exempli rhetorici loco attulit; choricae artis nullam scientiam vel habebat vel profitebatur, sicut Hephaestio tantum metricam spectavit divisionem in hoc *μεσυμνίου*, quod dicitur, exemplo commemorando.

Similiter inter duos distribuendum videtur fr. 101 B[3] (= Galen. protr. c. 8):

a *Ὁ μὲν γὰρ κάλος, ὄσσον ἴδην, πέλεται (ἄγαθος),*

cui respondetur

b *Ὁ δὲ κἄγαθος αὔτικα καὶ κάλος ἔσσεται.*

Certior ea distributio est in fr. 98 B[3] (= Hephaest. 45), quod ad maledicta et cavillationes pertinet, quibus iocose increpabant puellae *θυρωρόν* i. e. ianitorem, *καλεῖται δέ τις τῶν τοῦ νυμφίου φίλων καὶ θυρωρός, ὁ ταῖς θύραις ἐφεστηκώς, καὶ εἴργων τὰς γυναῖκας βοηθεῖν τῇ νύμφῃ βοώσῃ* (Pollux III 3, 42):

Θυρώρῳ πόδες ἐπτορόγυιοι,
Τὰ δὲ σάμβαλα πεμπεβόηα,
Πίσυγγοι δὲ δέκ' ἐξεπόνασαν.

Talia poemata magis apta esse ad recitationem quam ad cantum animadvertit Demetrius *περὶ ἑρμ.* c. 167: *ἄλλως δὲ σκώπτει (Σαπφὼ) τὸν ἀγροῖκον νυμφίον καὶ τὸν θυρωρὸν τὸν ἐν τοῖς γάμοις εὐτελέστατα καὶ ἐν πεζοῖς ὀνόμασι μᾶλλον ἢ ἐν ποιητικοῖς. ὥστε αὐτῆς μᾶλλόν ἐστι τὰ ποιήματα ταῦτα διαλέγεσθαι ἢ ᾄδειν, οὐδ' ἂν ἁρμόσαι πρὸς τὸν χορὸν ἢ πρὸς τὴν λύραν, εἰ μήτις εἴη χορὸς διαλεκτικός.* Apte igitur haec ita cantata fingas, ut puellae alia aliam singulis versibus excipientes ianitorem undique hac conviciorum vi et multitudine correptum quasi obruant.

Restat adhuc unum exemplum in fr. 109 B[3] interrogantis *νύμφης* et respondentis virginitatis his locis dissimile quidem, sed quod eandem poesis indolem, mimeticum illud studium, prodat. ‚Omnino maxime actuosa fuisse Sapphus epithalamia' hoc colloquium B. Schmidtio in proleg. p. LXXV videbatur demonstrare, qui praeterea ‚petulantissima illa de custode thalami fragmenta non posse recte intellegi' iudicabat, ‚nisi in carmine ex quo hi versus delibati sunt chorum puellarum cum puerorum choro certavisse sumeremus'. Sed ipsa ea fragmenta etiam nunc id certamen produnt.

In hac autem veritatis imitatione, etsi poetria Lesbia tota

antiquitate propter poesis venustates celebrata eam artis studio assecuta est, tamen ipsius naturae aemula facta est ad eiusque speciem omnem artem rettulit. Qua de causa eam certantium sive inter se carpentium lasciviam, quam arte temperavit, a populari consuetudine in nuptiis usitata originem traxisse consentaneum est. Liceat igitur hoc loco afferre ea, quae H. Köchly, vir elegantissimus in iudicando et in eloquendo, quondam dixit *Akadem. Vorträge u. Reden* I p. 191 sq. *In ihnen (den Hymenäen der Sappho) entfaltete sich die höchste und herrlichste Blüthe der Sapphischen Poesie. Begreiflich: feierten sie doch den bedeutungsvollsten Wendepunkt des Frauenlebens, welches in all' seiner Richtung zu verherrlichen eben das Wesen der Sapphischen Poesie war... Sappho knüpfte dabei an uralten Volksgebrauch an und erhob denselben zu einer künstlerischen Schöpfung.*

Neque alienum est ab usitato Sapphicae poesis more Vesperi ortum ad locos aliquo modo nobiles referre, velut ad Olympum et ad Oetam. Animadvertit enim Menander de deorum qui invocantur nominibus (*περὶ ἐπιδεικτ.* 2 p. 132) ‚*κλητικοὶ* [sc. *ὕμνοι*] *μὲν οὖν ὁποῖοί εἰσιν οἱ πολλοὶ τῶν τε παρὰ τῇ Σαπφοῖ ἢ Ἀνακρέοντι ἢ τοῖς ἄλλοις μετρικοῖς*', mox 3 p. 136 de eadem re haec, quae supplere conatus sum: *ἅμα μὲν ⟨ἀπὸ⟩ πολλῶν τόπων ⟨ἀνακαλεῖν ἐν⟩ ἐκείνοις ἔξεστιν, ὡς παρὰ τῇ Σαπφοῖ καὶ τῷ Ἀλκμᾶνι πολλαχοῦ εὑρίσκομεν. τὴν μὲν γὰρ Ἄρτεμιν ἐκ μυρίων ὀρέων, μυρίων δὲ πόλεων, ἔτι δὲ ποταμῶν ἀνακαλεῖ* (sc. *ποίησις*, cum proxime antecedat ante hunc locum ‚*ἐν μὲν ποιήσει*'), *τὴν δὲ Ἀφροδίτην Κύπρου, Κνίδου, Συρίας, πολλαχόθεν ἀλλαχόθεν ἀνακαλεῖ*, quod orationis genus in epithalamiis quoque non raro adhibitum fuisse iam Bernhardy suspicatus est *Grundriss d. gr. Litt.* II 1 [3] p. 676. 636, iocose conversum a Catullo in ‚Sapphico' carmine XI, de quo bene disseruit B. Schmidt in proleg. p. XII, et in carmine ad Lesbiam dato XXXVI. Neque dubitamus hic cum A. Bonino l. c. p. 4 addere carminis XLV versus 21 et 22

Unam Septumius misellus Acmen
Mavolt quam Syrias Britanniasque,

in quibus, etsi ipsius carminis inventionem totam ab imitatione Alexandrina pendere cum veri similitudine dictum est cf. B. Schmidtii

prol. p. LXXI, tamen harum terrarum mentio, quae ad anni 699/55 res memorabiles pertinet cf. ibid. p. LII, quoniam memoriam Sapphici loci tangere videtur (fr. 85 B[3]) .. *Κλέϊς* (correxit ita pro *Κλᾶις* Wilamowitz in ind. Gotting. aestiv. 1889 p. 23, 1) *ʼἀγαπάτα, ἀντὶ τᾶς ἔγω οὐδὲ Λυδίαν πᾶσαν οὐδʼ ἐράνναν*, indidem ab illo poetriae more profecta esse iudicari debet.

Accedunt aliae similitudines, quae per se quidem solae nullius sunt momenti, sed cum reliquis originis indiciis coniunctae aliquid valent. Non igitur ‚externae' eae appellari debent, ‚quales idem argumentum ultro procreat' — sunt Baehrensii verba p. 335 —, si in eam comparationem praeterea propter sententiarum similitudinem afferuntur fragmenta 94. 95. 97. 133, de quibus conf. B. Schmidtii proleg. p. LXXIV sq. Ac de fragmento 94 addantur, quae recte opinor Bonin l. c. p. 5 animadvertit: *wenn aber Sappho von der Hyacinthe sagt, sie werde von den Hirten auf den Bergen mit Füssen getreten und gehe daran zu Grunde, so versinnbildlicht die Dichterin damit doch wohl das Loos desjenigen Mädchens, welches sich weigert, einem Mann anzugehören und deswegen unbeachtet zu Grunde geht. Demnach sind die beiden Verse wohl als von den Jünglingen gesungen zu denken und zwar als Entgegnung auf eine Strophe ähnlichen Inhalts wie Cat. v. 39—47.*

Ex iis autem *figuris*, de quibus Demetrius *περὶ ἑρμ.* c. 140 haec dicit: *αἱ δὲ ἀπὸ τῶν σχημάτων χάριτες δῆλαί εἰσι, καὶ πλεῖσται παρὰ Σαπφοῖ, οἷον ἐκ τῆς ἀναδιπλώσεως· χαριεντίζεται δέ ποτε καὶ ἐξ ἀναφορᾶς ὡς ἐπὶ τοῦ Ἑσπέρου* (= fr. 95 B cf. Usener l. c. p. 97 sq.), haec altera maxime apud Catullum recurrit in v. 28:

Quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes

v. 42:

Multi illum pueri, multae optavere puellae

itemque in versibus 44. 50. 53. 55.

Nec dissimiles sunt arti Sapphicae repetitiones illae verborum notabiles, quales adhibentur in v. 8 et 9:

viden ut perniciter exiluere,
Non temere exiluere

et in v. 12 et 13:

ut meditata requirant.
Non frustra meditantur,
etsi hae non propriae eius fuisse dicuntur.

Totum autem carmen membrorum aequabilitate et perspicuitate insigne est, cum in strophis inter se respondentibus tum in singulis cuiusque strophae ipsis enuntiatis cf. v. 21 sq. 60 sq. alia.

Restat ut quasdam eorum opiniones perstringam, qui de ipso carminis consilio rebusque tractatis non rectius iudicaverunt quam de scaena et actione, non ut horum virorum perversas rationes vituperem, sed ut ab admirabili hoc carmine, quod ipsius Sapphus epithalamii alicuius unicum nobis servatum est simulacrum, fucata interpretationis medicamenta repellam et verum nitorem malis artibus infectum restituam.

Quod Pleitner l. c. p. 63 dixit: *es fehlen dem Gedicht, um auf eine besondere Veranlassung gedichtet zu sein, alle näheren Andeutungen desselben . . .; anderseits hat es wieder einen so scharf ausgeprägten individuellen Charakter, dass die hiefür nothwendig vorauszusetzenden Verhältnisse keine allgemeinen, sondern besonders gegebene zu sein scheinen* — id quidem re vera cum aliquo recti sensu dictum est. Sed quae in hoc carmine desiderari quoque videantur ab aliis non ita paucis interpretibus, ea commode comprehendi possunt his opinionibus, quas Bonin l. c. p. 8 proposuit et ita proposuit, ut cum de Catullo iudicavit, de Sapphus ipsius arte iudicasse videatur. Itaque si errores eius hic commemoro, erroris loco reposita veritate simul Sapphicae poesis species et indoles verius intellegetur.

Ac primum iam satis dictum est quid statuendum sit de his, quae ille requirit: *wäre unser Lied bestimmt gewesen, wirklich gesungen zu werden, hätte es dann der ausgedehnten dramatischen Exposition v. 1—18 bedurft, um den Leser zu orientieren?* — Nec minus falsa sunt quae de sententiis hymenaei sive carminis amoebaei profert: *unser Gedicht macht den Eindruck, als habe Catull die schönsten Gedanken, die er bei Hochzeitsliedern doch wohl immer wiederkehren sah, losgelöst von allen persönlichen Beziehungen zusammenfassen wollen, habe dazu die Form des Wechselgesanges gewählt und sie, so gut es ging, den römischen*

Hochzeitsgebräuchen angepasst. Ergo tesserulas quasdam vermiculatas inter se commissas ille cernit, quae nihil aliud praebeant nisi effigiem quandam eiusdem rei repetitae coloribus variatam. Sed vere adesse primum actionem pulchre et distincte indicatam ipsis agentium verbis, deinde ipsum hymenaeum ita institui, ut ab initio artificiose, sed sine ulla violentia sumpto processus aliquis fiat sententiarum lenis suavisque augmenta sua recipiens ab ipsius actionis progressu, denique ut certamen plene et apte componatur, id iis quae supra disputavimus effectum esse putamus. Itaque quoniam apta sunt omnia et inter se conexa, ut nusquam hiet nec actio nec sententiarum series omniaque continuo ordine et progressu explicentur, tale poema non tamquam e floribus hinc atque illinc decerptis collectum esse potest, sed singulari aliquo consilio certaque arte compositum e partibus natura sua continuis constare debet.

Sed quid deesse dicitur huic poemati? *Können wir uns vorstellen, dass die Hymenäen der Sappho so aller individuellen Züge bar gewesen seien und nicht vielmehr jedesmal, hervorgerufen durch die Vermählungen ihrer zahlreichen Freundinnen — wie die Pindarischen Epinikien durch die Siege der zu feiernden Helden — mit rein persönlichen Andeutungen reich ausgestattet waren?* Sed temerarium est vel potius absurdum hanc cum illo ita comparare. Qui de Pindaricae poesis indole et condicione edoceri cupiat, is adeat Wilamowitzii commentationes de Isyllo et de Euripide amplissimae et elegantissimae doctrinae plenas. Iam ut Sappho domestica sua dialecto utitur, contra Pindarus Boeotus alieno et artificiose composito sermone, item illa ad popularium consuetudinem moresque et in horum usum carmina scribit, huius poesis ad omnem Graeciae nobilitatem pertinet. Huic igitur conveniebat de victorum, quos celebrabat, genere dicere in eorumque laude simul maiores totamque gentem praedicare. Prorsus alia est Sapphus condicio.

Quamvis enim misere lacerata fragmenta tantum supersint ex eius carminibus, illud contendere licet poesis Sapphicae materiam, in qua omnis poetriae ars versetur, non constare rerum variarum et multiplicium copia, velut in variis cuiusque fortunis commemorandis et describendis, sed in paucarum rerum varia et

multiplici explicatione et descriptione. Atque hac in re maxime ars Sapphus cernitur incomparabilis, quod poesis eius divitias suas quaerit non e patentibus camporum aequoribus, sed e loco satis angusto. Vitae igitur ipsius muliebris sortem et condicionem, non singularum mulierum privatas quasdam sortes et proprietates, ita per omnes gradus poetria persequitur, ut per artis ipsius varietatem et ubertatem rei tractatae naturam et simplicitatem miris sententiarum et imaginum copiis augere videatur, quae ab ipsa animi sensusque veritate repetuntur semperque puro nativae pulchritudinis candore lucent. Ac verissimum est, quod A. Bonin l. c. p. 3 de Sappho dixit: *deren poetische Offenbarungen nicht mehr in ihrem ganzen Umfang bewundern zu können, bedeutet für uns doch wohl den schmerzlichsten Verlust, den wir mit Bezug auf griechische und römische Litteratur zu beklagen haben.*

Quodsi Quintilianus rhetor in iis lectionis generibus recensendis, *quae praecipue convenire intendentibus ut oratores fiant* existimat, cum Pindaro et Stesichoro Alcaeum quoque nominat, qui *in eloquendo quoque brevis et magnificus et dicendi vi plerumque oratori similis* sit (X 1, 63), et addit de eodem haec: *sed et lusit et in amores descendit, maioribus tamen aptior,* causa est manifesta, cur Sapphus mentionem neglexerit, scilicet quia nec maximas res caneret nec copias eloquentiae aptas praeberet, sed simplici tantum venustate et iucunditate quadam se commendare videretur.

Hanc autem Catullianam Sapphici epithalamii interpretationem maturioris artis signa in versuum numeris habere Bonin l. c. p. 13—16 ampliore demonstratione satis firmavit; itemque conspicuam esse orationis maturitatem docuisse nobis videmur.

V.

Nec minus momentum ad eius carminis originem coarguendam metrorum affert dispositio.

Stropha et antistropha prima constat e bis binis versibus uni utriusque chori interpreti pariter distributis, qui ephymnio a duobus choris cantato terminantur. Adamavit talia binorum versuum aequalium systemata Sappho, quae libris II et III postera

aetate Alexandrina comprehensa sunt, quam in rem conferas Hephaestionis[2] περὶ ποιήματος c. 4 locum p. 115 hunc: κοινὰ δὲ (sc. ποιήματα), ὅσα ὑπὸ συστήματος μὲν καταμετρεῖται, αὐτὸ δὲ τὸ σύστημα (ἐκ τῶν αὐτῶν μέτρων sententiae quidem convenienter, sed sine ulla necessitate supplet Westphal) ἔχει πληρούμενον, οἷά ἐστι τὰ ἐν τῷ δευτέρῳ καὶ τρίτῳ Σαπφοῦς, ἐν οἷς καταμετρεῖται μὲν ὑπὸ διστιχίας, αὐτὴ δὲ ἡ διστιχία ὁμοία ἐστί, cui adde p. 119. 120.

Et Catullum primum in Romanam poesin stropham Sapphicam transtulisse notum est; eundem praeterea metrum Asclepiadeum maius binis versibus in systema coniunctis, ᾧ τὸ δεύτερον Σαπφοῦς ὅλον γέγραπται (Heph.[2] p. 45), ad Sapphus exemplum in carmine XXX adhibuisse satis constitit cf. C. Lachmanni script. min. II p. 94 sq., quem sequuntur L. Müller in praef. p. LXXIII et B. Schmidt in proleg. p. LXXIV. Idem versuum dactylicorum systema in fragmento 93 B[3] adhibitum fuisse supra p. 83 ostendimus.

Porro si quis negare velit Sappho in hoc quod Catullus interpretatus est epithalamio hexametro usam fuisse, is quomodo eam opinionem confirmare possit, non inveniat. Potius insanum esset putare hanc sententiarum tantam concinnitatem et aequabilitatem quam in Catulli exemplo admiramur naturali quodam vinculo cum metri proprietate non coniunctam esse. Qui levia vel nugatoria non sectatur, Sapphus hoc epithalamium eosdem numeros habuisse ultro sumet.

Sed quoniam eam ipsam ob causam hoc epithalamium in nullo eorum librorum fuisse potest, quorum quidem numeri hic et illic commemorantur i. e. in libris I. II. III. V. VII., quia horum carmina aliis metris composita erant, iam quem nominat Servius l. c. epithalamiorum libellum varios numeros habentium alium quendam e novem illis libris, quibus Sapphus carmina Alexandrinorum aetate comprehensa sunt (cf. Bergk[3] p. 874), fuisse apparet neque ulla nunc est in hac re difficultas, ad quam solvendam cum Bergkio l. c. duas eius carminum recensiones factas esse statui debeat.

Stropham igitur et antistropham primam altera stropha et antistropha iam sequitur; utraque item bis binos versus continet,

quarum illa item ab una ex puellis, haec ab uno e iuvenibus cantatur — dixeris chori duces sive coryphaeos —, quod stropharum par ephymnio communi utriusque chori finitur. Nam quaeque actio in versibus 1—4, 6—9, 11—18 utrimque aequaliter eodemque modo effecta non sinit haec systemata chororum concentu aliquo perrumpi aut separari.

Epodos esset haec tertia pars vocanda (cf. W. Christ *Metrik*[2] p. 654 et G. Hermann el. d. m. p. 725), nisi hymenaeus altera epodo eiusdem mensurae clauderetur: est igitur totum poema epodici generis, sed ex iis quae *παλινῳδικὰ* appellantur, *ἐν οἷς τὰ μὲν περιέχοντα ἀλλήλοις ἐστὶν ὅμοια, ἀνόμοια δὲ τοῖς περιεχομένοις*, ut Hephaestion *περὶ ποιήματος* c. 4 exponit; nam quae ibi subsequuntur: *τὰ δὲ περιεχόμενα ἀλλήλοις μὲν ὅμοιά ἐστιν, ἀνόμοια δὲ τοῖς περιέχουσι*, ea excludere non possunt ex illo genere talia *παλινῳδικά*, in quibus stropharum complura paria inter se inaequalia sunt diversoque ambitu, sicut in hoc Catulliano. Singularis enim eius aliqua pars, quae propriis mensurae rationibus constat et epodis inter se paribus includitur, est ‚hymenaeus' proprie dicendus. *Ἐπῳδικὰ δέ ἐστιν ἐν οἷς συστήμασιν ὁμοίοις ἀνόμοιόν τι ἐπιφέρεται*, ut ait Heph. l. c., ut recte et versus 11—19 et 59—66 cum versu ante v. 59 amisso epodici generis esse dicantur.

Hymenaeus autem e tribus stropharum paribus constat, quorum primum senorum, alterum septenorum, tertium undenorum versuum strophis constat, quae ephymniis terminata a puellis et iuvenibus vicissim certo ordine canuntur. Sed etsi horum versuum numerus, si ab ephymniis discesseris, binario numero dividi vel potius singuli hoc modulo dimensi in binarium numerum primo stropharum pari excepto coniungi possunt, tamen ea libidinis insolentia a limine reicienda est, qua quis, cum et ad sensus conexum et ad sententiarum inter se contrariarum aequabilitatem in stropha et in antistropha prima nihil desit, Catullum enuntiatis sive ampliatis sive breviatis binarium versuum numerum in imitatione sua non servasse harioletur.

Verum nihil hac dispositione ad scaenam et argumentum aptius est. In prooemio quod vocatur i. e. in versibus 1—19 ipsum duorum chororum certamen paratur. Nam cum in initio

carminis utraque turba et iuvenum et puellarum separata ab altera dapibus indulgeat, mox surgunt et hymenaeo inter se certare parant, quo utraeque partes mariti novaeque nuptae condicionem effingunt. Chorus igitur uterque mensa sua relicta cum incessu quodam stationem suam ad ipsum cantum incipiendum occupat, qui cantus et separatur a praecedenti parte et inclusus duabus strophis inter se respondentibus rursus consociatur; in altera stropha, qua totum carmen clauditur, certantium animi eadem voluntate tamquam per *παλινῳδίαν* conciliantur. Sed hoc metrorum admirabile artificium altero nullo exemplo cognitum Catullum non ipsum invenisse, sed a Graeco exemplari transtulisse ultro apparet. Quid igitur mirum nunc videatur, si suspicamur Catullum tanta Sapphicae artis simplicitate veritate pulchritudine penitus perfusum id carmen in sermonem suum dilectissimum convertere ausum esse?

Vix est quod moneam huius carminis dispositionem cum carminis LXIV ordine comparari non posse, ubi epicae narrationi externi artificii vi insertus est Parcarum cantus cf. Westphali *Metrik* II[2] p. 254 sq.

Carminis ergo distributionem sic describere licet:

$$A\ (2^a + 2^b + 1^{ab}) \qquad A^1\ (2^b + 2^a + 1^{ab})$$
$$B\ (2^b,\ 2^b + 2^a,\ 2^a + 1^{ab})$$
$$\alpha^b\ \alpha_1^a + \beta^b\ \beta_1^a + \gamma^b\ \gamma_1^a\ (= \text{hymenaeus})$$
$$B^1\ (2^b,\ 2^b + 2^a,\ 2^a + 1^{ab}).$$

Semel autem in versu 59 id fit, ut unius enuntiati membra ab una binaria parte ad proximam continuentur, quod nec excusari debet nec vituperari potest. Videmusne ut idem in Sapphus carminum 1 et 2 B[3] strophis factum sit?

Iam si in tanta fragmentorum paucitate et tenuitate, qualia e Sapphus copiis fortunae tantum ludibrio servata sunt, non solum rerum et orationis, sed etiam metri generis versuumque dispositionis binariae eae similitudines intercedunt, quae non numero, sed vi et pondere suo iudicari debent, iam Sapphici alicuius hymenaei speciem et lineamenta in Catulliani carminis corpore tamquam per ‚Coae texturam Minervae' etiamnunc spectare et admirari licet. Ac si non sine negotiis et laboribus nobis contigit, ut hoc iure ac merito de Sapphica origine nunc contendere liceat,

illud meruisse nobis videmur, ut flammeas illas voces medullitus haustas hic afferre liceat, quae nuperrime cum spiritu fere cohibito Wilamowitzii de Euripidis Hercule librum legeremus ibi cognovimus: *das Lied, das nicht der dumpfen menge ertönt, das der dichter nicht singt die menschen zu bessern und zu bekehren, noch sie zu ergötzen und zu unterhalten, das er nur der Muse oder etwa der geliebten singt, das echte lied ertönt von Lesbos und nur von Lesbos; es ertönt als der schwanengesang der sterbenden aiolischen cultur. Sappho steht einzig da in der ganzen stolzen geschichte des griechischen geistes; und wenn sie nicht so ganz natur wäre, würde man sie für unbegreiflich halten.*

Iam textum et ordinem carminis eum, quem recuperasse nobis videmur, hic ut legentium commodo inserviremus integrum proposuimus, addidimusque simul potiorem lectionis diversitatem e nitida Schwabei editione altera sumptam apertis scribentium erroribus omissis. Archetypi autem scripturas divinare, 'unde exemplaria et gallicum (*T*) et veronense (*V*) deducta sunt', quoniam omnino incertum est cf. Schwabe in edit. prior. p. XXII sq., in horum librorum memoria acquiescendum est.

Epithalamium.

Vesper adest, iuvenes, consurgite: Vesper Olympo aA
Expectata diu vix tandem lumina tollit.

Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas: b
Iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus.

Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee. ab

EPITHALAMIVM CATVLLI *inscribitur in T.* Epithalamium *Quintilianus quoque nominat cf. ad* 45. Exametrum carmen nuptiale *inscripsit g, idem titulus in ceteris bonis* 1 *g in margine addidit ad* 1 Turba virorum 6 Puelle 11 Puelle 20 Puelle 26 Iuvenes 32 Puelle 39 Puelle 49 Iuvenes *Nos iuvenum partes littera a, puellarum littera b signavimus totumque carmen ad stropharum aequabilem rationem redegimus.*

Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra: bA³
Nimirum Oetaeos ostendit noctifer i*gnes*.
Sic certest: viden ut perniciter exiluere? a
Non temere exiluere, canent quod visere par est.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee. ab

Non facilis nobis e qualis palma parata est: bB
Aspicite, innuptae, secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur; habent memorabile quod sit,
Nec mirum, penitus q*uom* tota mente laborant.
Nos alio mentes, alio divisimus aures: a
Iure igitur vincemur, amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere iam incipient, iam respondere decebit.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee. ab

Hespere, quis caelo fertur crudelior ignis? bα
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu*m* matris retinentem avellere natam
Et iuveni ardenti castam donare puellam.
Quid faciunt hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Hespere, quis caelo lucet iucundior ignis? aα′
Qui desponsa tua firmes conubia flamma,
Quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.
Quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

. . . . bβ
. . . .
. . . .

---

7 imbres *T* imber *V* 11 ę (e *G. O*?) qualis *T, distinxi* 14 *habet T solus, omisit V* ‖ quom] quae *T, correxi* 17 convertite *T* 20 qui *V excidit opinor* s *ante litteram vocis sequentis initialem* c *formae similitudine* 22 Con plexu *T* Complexu *V* Complexu*m* *p*atris *coni. P. Krumbholz* 26 qui *V* iocundior *V*

Hesperus e nobis aequal*em si* abstulit unam.
. . . .
. . . .
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

. . . . a β^1
Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine Eo*us*.
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, si carpunt tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Ut flos in saeptis secretus nascitur hortis, b γ
Ignotus pecori, nullo convolsus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber
. . . .,
Multi illum pueri, multae optavere puellae:
Idem cum tenui sca*l*ptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est;
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet nec cara puellis.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

---

32 *in libris nullum est interstitium ante hunc versum aut post eum usque ad* 33; *duo versus subsecuti sunt cum ephymnio, antecesserunt tres; eadem lacuna haustus est primus antistrophae versus* ‖ aequalem si] ęqualis *T*: equales *V*, *inde* m *littera superscripta et* s *expuncta fecit* ęqualem *g* [equalem *CDHA*], *correxi* 35 Eous] eospem *T* eosdem *V Schrader correxit* 40 convolsus *T* ꝯclusus *O idemque veri simillimum est prius fuisse in G indeque fecisse* contusus *g* [contusus *ceteri codices*] *post* 41 *unius versus lacunam indicavit Spengel: commate distinxi sicut respondentem versum 52* 43 *et* 44 *om. O T* [*Dresd. Laur. 33, 12*]; *habet G* [*et ceteri codices*] 43 scalptus] carptus *codices et editiones* [*p* = *editio a. 1472* captus .. igni], *correxi* 45 *Quintil. inst. orat. 9, 3, 16* Catullus in epithalamio ‚dum innupta manet, dum cara suis est', cum prius ‚dum' significet ‚quoad', sequens ‚usque eo'. *Aut ipse Quintilianus erravit cf. ad* 56, *cum ex utroque versu* (45, 56) *partem dimidiam coniunxit, aut in archetypo Quintiliani duorum versuum testimonia contaminata sunt* ‖ tum cara *VT* 47 iocunda *V*

Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo aγ'
Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Iam iam contingit summum radice flagellum,
Hanc nulli agricolae, null*ae* coluere iuvenc*ae:*
At si forte eadem est ulmo coniuncta marit*ae,*
Multi illam agricolae, mult*ae* coluere iuvenc*ae*:
Sic virgo dum in*nup*ta manet, dum inculta *suis est;*
Cum par conubium maturo tempore adepta est,
C*a*ra viro magis et minus est invisa parenti.
58b *Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.*

. . . . bB[1]
E*s*t tua, nec pugna; cum tali coniuge, virgo,
Non aequom est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est, a
Tertia patris pars, *pars* est data tertia matri,
Tertia sola tua est; noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee. ab

---

53 nullae coluere iuvencae] multi acoluere *T* ‖ nulli (*V*) co*luere (*fuerat* colluere) G ‖ iuvenci *V* (*in O fuerat prius, ut videtur*, iuventi) *T*; *correxi cum Pleitnero* 54 maritae] marita *T* marito *V*, maritae *Heinsius* 55 multae coluere iuvencae] multi acoluere *T* multi accoluere *V* ‖ iuvenci *TG* inūeci (*littera paenultima prius fuerat* t) *O correxi cum Pleitnero* 56 innupta] intacta *VT*, *correxi cf. ad* 45 ‖ tum inculta *T* ‖ suis est] senescit *VT*, *correxi cum Pleitnero* 58 cura *T V* cara *M correxit* 58[b] *om. VT: add. Muretus* ‖ *ante* 59 *unus versus amissus est ad virginitatem quae genero debeatur pertinens* 59 Est tua] Et tua *T* (tu *V*), *correxi* ‖ *vulgo* at tu ne pugna cum tali coniuge, *revocavi lectiones* tua *T*, nec pugna *VT et distinxi cola* 62 *om. T* 63] Tertia patris pars .ē. data tertia matri *T* Tercia pars patri ē data tercia matri *O** Tercia pars patri data pars data tercia matri *G* [*et ceteri libri*], *supplevi e codicum T et O lectionibus alterum* pars/ pars patrist *Hauptius*/ pars patris est *Muretus*/ pars patri, pars est data *Avantius*

2. De carminis LXVIII unitate.

Carminis LXVIII unitatem defendi non posse nisi ab ‚imprudentibus' nugasque esse et ineptias, quae ad difficultates opinioni isti contrarias removendas proferrentur interpretationis remedia, denuo nuper in commentario acerrime contendit Baehrens. Is enim quinque attulit argumenta tam firma, ut numquam refutari possent, quem numerum Riese ad septenarium auxit, quamquam hic non eandem rationem in eius carminis compositione iudicanda tenet, quam ille secutus est. E contrario enim hic ea proponit argumenta quae unitatem prodant ab exitu carminis petita et ea quae redarguant, summaque fere eius disceptationis haec est, ut utra opinio verior sit diiudicari facile non possit. Ille autem exordium eius carminis a reliquis partibus separandum nihil habere posse commune cum his sibi persuasit. Sed qui accuratius eius litis originem et ordinem persequi velit, inspiciat A. Weisei libellos duos scholasticos *Zur Kritik des Catull. Naumburg* 1863 p. 1—13 et *Bemerkungen zu Catulls c. 68. Zeitz* 1869 p. 1 sq. Ac Lachmann, Haupt et qui horum vestigiis institerunt L. Müller et B. Schmidt unum esse carmen putant, cuius unitatis defensor quoque satis idoneus exstitit Ad. Kiessling in analectis Catullianis Gryphisw. 1877 ed., qui in interpretatione sua, quam saepius afferre debebam, tamen non omni artificio abstinuit.

Neque vero quia ‚casu infelici', ut dictum est, codex V prius carmen i. e. v. 1—40 interstitio aliquo a sequenti separare omisit, idcirco haec carmina inter se coniungenda esse arbitrabitur, qui meminerit idem saepissime alibi in Catulli carminibus diversis accidisse. Nisi H. Magnus, qui aliis in rebus sobrio usus est iudicio, atque in hoc carmine quaedam rectius quam alii vidit (cf.

N. Jahrb. 111. 1875. p. 853 sq. *Ztschr. f. d. Gymn.-W.* 1878 p. 496 sq. *Jahresber. des phil. Vereins* III p. 243. VII p. 363 sq.), eam causam ita agit, ut unitatem vel hac librarii opera tamquam iusto testimonio satis confirmatam carmini vindicet, ab adversariis autem argumenta ad refutandam illam superstitionem postulet (cf. *N. Jahrb.* 111 p. 849). Hac autem in re non iniucundum est monere, in codice M nuperrime collato versui 41 signum ‚x' additum esse, quo novi carminis initium notatur. Quod signum e codice V receptum fuisse iure contendit K. P. Schulze *Hermes* 1888 p. 587.

Sed quoniam testimonia desunt, neutra litigantium pars argumentis in hac causa carere potest.

Ac iure suo dubitationibus quae de unitate prolatae sunt Fr. Schöll *N. Jahrb.* 121 p. 471 sq. locos quosdam opposuit maxime in initio carminis et in exitu (= v. 149—160) exstantes, quos inter se ita referri monuit, ut unicuique vere philologo ea res iudicata et explorata esse deberet. Ac verissimum est unum esse carmen, sed tripertitum vel potius bipertitum, cuius partes artissima necessitudine tenentur neque inter se disiungi possunt. Sed qui mirantur cum Kiesslingio l. c. p. 13, quod Catulli interpretes recentiores omnes fere carmen ‚dissecare quam recte intellegere maluerunt', iure mirantur, dummodo illud concedatur etiam eos qui de unitate dubitaverunt argumenta parata habere, quae defensores illi vix dissolvisse videantur. Dudum id constare dixit O. Franke in diss. Gryphisw. a. 1866 ed. p. 21 nec de hac re pluribus verbis opus ei videbatur. Sed hoc certe constat reapse eam argumentorum vim per se non satis validam fuisse ad omnem cogitationem de necessitudine quadam inter has partes intercedenti secludendam. Quidquid enim contra dictum est, mansit fere esse aliquid commune his carminibus, ut O. Ribbeck earum dubitationum ratione habita ea carmina l. c. sic descripsit: *ein Elegienpaar, welchem ein gewisser idealer Zusammenhang kaum abzusprechen ist.* Verum quoniam in interpretatione et in recensione huius carminis hucusque quaedam relicta sunt, quae unitatem tollunt, a Baehrensio in comm. p. 502 sq. collecta, nisi his vel difficultatibus vel erroribus remotis nusquam ut ait Plautus stabulumst confidentiae.

Qualis sit conexus partium posthac patebit, si rectius et verius, ut opinor, eos locos quibus argumenta contra unitatem prolata nituntur in hac epicrisi tractavero. Ac ne longi simus, mirabilia illa, quorum in hac quaestione multiplex est varietas, omnia mittemus.

Proficiscamur ab eo carminis loco, in quo interpretando unitatis et adversarii et defensores multum versati sunt. Dicunt illi, qui ad amicum versus 1—8 scripserit, eum nullo modo ad eundem scribere potuisse versum 155:

Sitis felices et tu simul et tua vita.

Cuius versus quoniam sententia manifesta est, sive ad uxorem sive ad puellam amici pertinet, omnem dubitationem afferunt illi versus, quos Schwabe sic edidit:

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
Naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
Sublevem et a mortis limine restituam,
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto caelibe perpetitur,
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
Oblectant, cum mens anxia pervigilat,
Id gratum est mihi, me quoniam tibi dicis amicum
Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.

Deriguntur haec ad Malium quendam vel ad Manlium. Cur ‚Manlii' nomen nonnulli praeferrent, notavit K. P. Schulze *Ztschr. f. d. Gymn.-W.* 1880 p. 364. Exstat nomen in v. 11 et 30, ubi V praebebat ‚mali', sed eum codicem duplicem habuisse lectionem ostendit codicis M in v. 11 lectio ‚mali *et in margine* al mauli' (K. P. Schulze *Hermes* 1888 p. 573); ibi titulum quoque fuisse ‚Ad Mallium' testatur g et M (l. c. p. 588). Ac nihil refert, utrum Malii an Manlii nomen ille habuerit; certe in eius nominis initio non vocalem sed consonantem fuisse numeri docent. Sed ad quem epilogus fit, is vulgo creditur ille Allius fuisse, cuius in laudem elegia quae a versu 41 usque ad v. 148 intercedit composita est. Hoc nomen codicum testimoniis constat his in v. 50 (M ‚alii' i. e. alli cf. l. c. p. 590), 66, certissime restitutum a Scaligero in v. 41. De versu 150 infra videbimus.

Inde Lachmann et qui eum secuti sunt commoti ut unitatem carminis defenderent unius eiusdemque viri, qui ibi nominatur, nomen fuisse Manium Allium rati statuerunt poetam ea appellationis diversitate usum esse, ut eundem praenomine Manii, mox nomine Allii alloqueretur. Illud igitur reponebant per coniecturam in v. 11 et 30. Inventae quoque sunt propriae causae, cur Catullus modo hac modo illa allocutione uteretur, ut a Kiesslingio l. c. p. 15; quae artificia omnia hic ut plenius afferrem a me impetrare non potui. Quid quod Fr. Schöll, cui quidem ut antea Schwabeo in quaest. p. 20 haec appellationis diversitas contra Catulli consuetudinem facta videbatur, in v. 30 scribebat ‚mi Alli', in v. 11 nomen proprium interpolatum putabat unamque eiusdem viri appellationem ita restituebat cf. *N. Jahrb.* 121 p. 473. Ac rursus alii monuerunt Catullum et praenomine et nomine uti potuisse cf. O. Harnecker *Progr. Friedeberg Nm.* 1881 p. 1—3. Sed is usus in Catullo neque redargui neque coargui potest. Alia quoque obstant huic opinioni, quae copiosius tractavit K. P. Schulze *Ztschr. f. d. Gymn.-W.* 1880 p. 353 sqq.

Ac nemodum has appellationis difficultates plane tollere potuit; novum artificium bene excogitatum addidit B. Schmidt in prol. p. CXXVIII sq. Nec minus frustra laboraverunt interpretes in rerum difficultate expedienda.

Iam quae de fortuna casuque acerbo indicantur in versibus supra propositis, quoniam ad eundem amicum derecta esse putantur ab omnibus, et defensoribus unitatis et adversariis, ut ea cum epilogo congruant iure postulatur. Hi quidem negant has duas partes ullo modo inter se conciliari posse, illi modo hoc modo illud excogitaverunt infortunium amici nec tamen id invenerunt, quod utrique parti satis faceret. Et esse hunc interpretationis eventum nuper cognitum est in Ad. Kiesslingii invento sane artificioso (l. c. p. 14), quo adversariorum dubitationes sustulisse sibi visus est, sed non sustulit; quod O. Harnecker l. c. p. 4 demonstravit.

Nam quod denuo Baehrens suspicatus est vel pro certo posuit, Malium uxorem suam morte amisisse, si verum esset, statim inanis esset omnis quaestio, num initium et exitus eiusdem car-

minis essent, quoniam ad eandem uxorem pertinerent illa: 'sitis felices et tu simul et tua vita'. Ac mirum esse debet, quod vel tantum temporis ea opinio vera existimari poterat, quantum ad totum poema legendum necessarium est. — Omninoque nihilo magis difficultates expediuntur aliis de illa calamitate in v. 1—8 significata suspicionibus, quas Riese ad v. 4 satis indicat. Quarum ea est condicio, ut etiamsi vel haec vel illa cum carminis exitu consentit aut saltem huic non est contraria, tamen prooemii res et verba semper aliqua ex parte eis repugnent.

Sed has omnes suspiciones refellere et longum est et supervacaneum. Dudum enim iustis argumentis reiectae sunt necdum una hucusque stetit. Sed etsi paratas habeo copias harum disputationum ab interpretibus institutarum, supervacaneum tamen esse dico de his referre maxime ea de causa, quia casum illum acerbum, quem vehementissimis studiis frustra rimabantur viri docti, ipsi Malio omnino non accidisse certis argumentis demonstrare posse mihi videor.

Ac primum quidem maxime mirari debemus, si quidem Malius amicus tam gravi ictu vulneratus est, quam non animo commotus sit casu illo qui significatur acerbo Catullus. Id iam Kiessling l. c. p. 14 intellexit, sed ita ut ei Catullus in v. 155 'consolatione sua non iam opus esse augurari' videretur. Idemque tetigit Baehrens, sed ipse dubitationem suam subnascentem vi quadam repressit. Adnotat haec ad v. 5. 6.: 'cum hoc epistolio non lectores ignaros sit docturus, sed scribat ad amicum nimis eheu gnarum, potest sane poeta magis in transcursu et quasi parentheseos loco breviter Malii calamitatem attingere in membro hoc secundario'. Sed simplex sanitatis ratio posceret, si amicus tam gravi calamitate quam putatur afflictus fuisset, ut nos poetam ad amicum multo commotiore oratione se convertere debuisse exspectaremus.

Accedit quod, si veram esse sumamus hanc vulgarem interpretationem, cum legerimus primos duo versus subito paululum obstupefacti in naufragum quendam incidimus eiectum spumantibus undis, quem ut sublevaret Catullus rogabatur. Nam mirationem quandam nobis efficit, quod si 'naufragus' ille est, ad quem

carmen derigitur, allocutionis pronomen ‚te' deest. Quod, quoniam versus 3 et 4 omni mendi alicuius suspicione liberi sunt, inseri nec debet nec potest. Quamquam possunt sane, ut vulgo fit, sed paulo durius, hi versus ita accipi, ut is, quem Catullus alloquitur per secundam personam verbi ‚mittis', intellegatur ipse ille ‚naufragus' statim nominatus. Suggeritur mihi in eam interpretationem locus Horatianus ep. I 20, 17 sq., ubi poeta librum suum epistularum alloquitur his verbis:

Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.

Deest scilicet hic in participio item ‚te', sed cogit praegressum pronomen ‚te' idem supplere in enuntiato arte adnexo, ut nullus sit iuncturae quasi hiatus. Igitur aliam quandam esse huius loci condicionem atque Catulliani manifestum iudico.

Ultro igitur illud ‚quem' in initio eius enuntiati positum, quo ille calamitate quadam afflictus describitur, opinionem facit eam, tertium aliquem praeter Malium intellegi Malio aliquo modo coniunctum.

Atque cum ea opinione congruunt versus 1 et 2, quam in rem Baehrensii interpretationes afferri possunt. Rectissime enim is de versus 2 lectionibus haec dicit: ‚hoc epistolium eius qui scribit litteras indicat; eius cui respondetur epistolam, etiamsi oculis scribentis est subiecta, nudum ‚epistolium' satis designat. Deinde quod vulgo receptum est ‚conscriptum lacrimis', id ‚absonum atque ineptum' vere appellavit. Quomodo enim ‚conscribi' potest lacrimis? Iam quia ‚lacrimis' ad calamitatem, quae versibus sequentibus significatur, aptum videbatur vocabulum, de veritate lectionis ‚conscriptum' dubitabatur, non de ‚lacrimis'. Locis a Baehrensio in eam rem allatis adde Ovid. trist. I 1, 13 sq. III 1, 15. IV 1, 95 sq. Ac tamen hoc in suspicionem vocare non minus licet quam illud. Iam causa quoque aliqua est de hoc vocabulo ‚lacrimis' dubitandi.

Ergo quoniam Malius ex iis quae huc usque excogitata sunt infortuniis unum aliquod expertus esse non potest, eo omnis interpretatio redit, ut non Malium sed alium quem calamitate quadam afflictum fuisse credamus. Voce ‚naufragii' de exilio suo Ovidius trist. I 5, 36. V 9, 17 usus est, quae exempla addi possunt

Baehrensianis. Malium igitur poeta alloquitur, sed ille per alium excitatus huius nomine ‚munera et Musarum et Veneris' impetrare vult.

Quid si propter hunc rerum statum poeta rarissimum vocabulum ‚epistolium' adhibuit de ignoti illius schedula ad Malium missa. De eo vocabulo v. Baehr. comm.; adde ‚Ἐπιστόλιον epistolium' Corp. gl. II p. 311, 19. ‚Epistolium epistola diminutivum' l. c. p. 578, 32. Malius autem cum eius fortuna casuque ipse quoque moveretur, iam Catullum sibi amicum (v. 9) hospitioque coniunctum (cf. v. 12) i. e. per hospitii ius adiit. Fuit ergo inter Malium et Catullum hospitium, cuius officium a maioribus acceptum ad posteros quoque pertinere vel unus Ciceronis locus pro Sex. Rosc. 37, 106 docet: ‚veri simile est Roscios istam rem ad Chrysogonum detulisse; erat enim eis cum Chrysogono iam antea amicitia: nam cum multos veteres a maioribus Roscii patronos hospitesque haberent, omnes eos colere atque observare destiterunt ac se in Chrysogoni fidem et clientelam contulerunt'; adde 6, 15. 10, 27. cf. I. Marquardt *röm. Privatalt.* p. 192 sqq. Misit autem Malius epistolium illud eo, ubi Catullum vivere opinabatur i. e. Veronam in urbem eius patriam; ibi enim commorari turpe Catullo esse scripsit cf. v. 27; contra Catullus Malium ut de re nova et huic incognita iam primum edocet se Romae — non Veronae — vivere v. 33—36:

Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.

Casu igitur factum est, ut Catullus tum Veronae esset, ubi epistulam Malii accepit. Haec autem epistula, cui epistolium illud additum erat (cf. v. 2 ‚mittis epistolium'), notatur in v. 27: ‚quare, quod *scribis*' et in v. 9 sq.: ‚me quoniam tibi *dicis* amicum muneraque et Musarum hinc *petis* et Veneris'. Quod iam Baehrens suspicatus est, id hinc et ex ea opinione, quam de Catullo Malius concepit (cf. p. 108 sq.), certum fere evadit, Malium in aliqua Italiae superioris urbe habitasse.

Inde iam fit illud quoque perspicuum *hoc* et *lacrimis* in v. 2 corrupta esse.

Ac primum praebet O ‚h' (= haec), BA ‚hec', ‚quod in G correxisse de suo in „hoc" librarius videtur' (Baehrens). Ergo quoniam ‚hoc' codicis V testimonio non firmatur, secundum rerum nexum scribendum mihi videtur *huc*.

Malius autem dicitur ‚fortuna casuque oppressus acerbo' i. e. subito conturbatus et afflictus, quia ad eum ille casus acerbus per necessitudinem quandam pertinebat; quod ut per alterum factum esse intellegere possimus, concludendum est in vocabulo ‚lacrimis' corrupto latere genetivum aliquem, quo tertius ille denotetur vel necessitudinis alicuius nomine vel calamitatis notione vel ipso nomine nominatus. Nam *lacrimis* ultimam suam syllabam per errorem scribentis, id quod monuit P. Krumbholz, ex initio insequentis vocabuli *mittis* recepisse potest. Sed ut in emendatione eius loci longius procederem mihi nondum contigit.

Quid acciderit Malii amico vel necessario illi, scire neque licet neque lubet. Certe est ‚naufragus', ‚eiectus spumantibus aequoris undis', ‚a mortis limine restituendus' i. e. vitae reddendus (cf. Baehr. ad v. 4). Ea igitur calamitate sive damno ictus est, ut ipse quoque de morte sive de vita sua cogitare videatur — nam ita ea verba v. 4 intellegi possunt —, praesertim cum nec ab uxoris alicuius sinu et amore consolationem animi petere possit, quia caret uxore, nec carminibus veterum scriptorum oblectetur, e quibus aliis temporibus animi recreationem et voluptatem hausit, quia mentis angoribus per temporis nocturni solitudinem vexatus premitur. Nox enim appellatur ab Ovidio in met. VIII 81 ‚curarum maxima nutrix'. — Ita fere, quae versibus 5—8 dicuntur, reddenda sunt.

Caret enim uxore, quam numquam habuit, utpote est ‚desertus in lecto caelibe'. Nam caelebs — ut Baehrensii verbis utar — ‚semper de eis qui uxore carent, sive numquam duxerunt sive amiserunt, dicitur'; ergo cogitari nequit de puella. Porro ‚desertus' nominari potest non modo is, quem ii quos secum habebat dereliquerunt, sed etiam qui solus est, ut hoc sensu adhibetur in v. 29 ‚deserto cubili', quod iam Fr. Schöll l. c. p. 472 monuit, itemque in v. 50 ‚in deserto Alli nomine', e vulgari talium par-

ticipiorum usu, quae non ad actionem aliquam praegressam pertinent, sed adiectivorum vices tenent. Hunc igitur

... neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto caelibe perpetitur,

neque mente anxia pervigilantem veterum scriptorum Musae oblectant. Negantur enim totae illae condiciones, quae membris illis inter se compositis describuntur; de his igitur condicionibus ut consolationis fontibus in hoc homine cogitari non posse Malius Catullo scripsit. Coniunctio autem ‚cum' in v. 8 eandem vim habet, quam supra in c. LXII 46. 57 explanavimus, ut ille pervigilando mente cum anxia talibus carminibus non oblectari dicatur; nam ad prius membrum v. 5. 6 id enuntiatum per ‚cum' adnexum non simul pertinet. Similis enim condicio efficiens, quae hic per ‚cum' additur, ibi notatur per rem attributam ‚in lecto caelibe'.

Hominis autem tanta calamitate afflicti mens *anxia* est i. e. ‚versans in angoribus' (Baehr.), qualis describitur Ariadne c. LXIV 203 in ora vasta perfide deserta, ‚supplicium saevis exposcens anxia factis' et ‚inops, ardens, amenti caeca furore' querellas fundens, deorum fidem et ultionem exposcens cf. v. 196 sq. 190 sq.

Sed cur has ipsas duas condiciones Malius nominavit in petitione sua? Quid quod e prioris illius condicionis commemoratione, coniugii beati, statim eminere videtur morum illa severitas, quam Veronae quoque esse in v. 27—30 significabat Malius in litteris suis et quam tota illa Italiae superioris regione, ubi Malius habitasse videtur itemque huius amicus incognitus, fuisse credibile est. De Brixia Plinius testimonium praebet in ep. I 14 cf. Friedländer I[6] p. 462. Omninoque Italiae superioris urbes morum simplicitate et severitate notas fuisse commemorat Friedländer I[6] p. 27.

Nec magis altera condicio, quae ad poesin pertinet, ab huius regionis cultu hominumque qui ibi habitabant ‚venustiorum' voluntatibus studiisque abhorrens aut aliena videri potest. Nam inde ea aetate novi poetae hominesque litterarum cupidi in urbem venerant, ut M. Furius Bibaculus et Quintilius Varus Cremonenses, Cornelius Nepos ‚Padi accola', Valerius Cato, ‚qui solus legit ac fecit poetas', Catullus Veronensis, alii postea, ut ex illa terra

poesis et litterarum velut radiis icta et tepefacta ‚ver novum et canorum' nasceretur cf. O Ribbeck l. c. I p. 307. Riese *Einl.* p. V. Comi Novi erat poeta ille Caecilius, ad quem Catullus c. XXXV scripsit.

Quodsi Malii amicus nec coniugii fortuna fruitur nec veteris poesis dulcedine in angoribus suis oblectatur, veteres poetae non tam opponuntur novis poetis, quam idcirco nominantur, quia Malii amicus ea occupatione iam in anxio suo statu non gaudet, sed novi aliquid captat sive Malio videtur captare, ut animum a rerum tristium cogitatione abducat. — Deinde illud etiam intellegitur, eam calamitatem talem fuisse, in qua aeger animus etiam pateret aditumque praeberet his levioribus oblectamentis atque se novis carminibus et amatoriis exhilarari vel a curis ad aliquam voluptatem deduci sineret.

Quid igitur petivit ab amico pro afflicto illo? ‚munera et Musarum et Veneris'. Pergit iam Catullus sic:

11 *Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Mali,*
Neu me odisse putes hospitis officium,
Accipe quis merser fortunae fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.

Poeta igitur, qui ‚ipse mersatur fortunae fluctibus', etsi ita communionem quandam fortunae cum altero illo habet, tamen peiore utitur condicione quam is, qui ‚naufragus eiectus est' ad litus. Quid sibi acciderit, proximis versibus indicat:

Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Iocundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri
Quae dulcem curis miscet amaritiem:
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. o misero frater adempte mihi,
Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
Tecum una tota est nostra sepulta domus,
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in vita dulcis alebat amor.
Cuius ego interitu tota de mente fugavi
Haec studia atque omnes delicias animi.

Fratris autem dilectissimi mortem brevi tempore ante accidisse quam haec scripta sunt, orationis habitus et color in v. 13 et 14 prodit; utitur enim praesenti tempore *merser* seque appellat ‚miserum'. — Sed id tempus, quo primum toga virili accepta ‚luserit', paulo longinquius esse et remotius quam Riese putare videtur cf. *Einl.* p. VII. XIX, item orationis totus habitus arguit. Retro enim ad illud ‚aetatis floridae' tempus ut iam aliquantum distans oculos convertit. Igitur nec fratris mors in primam adulescentiam Catulli incidit — velut paulo post septimum decimum aetatis eius annum — nec hoc carmen (cf. Riese ad 68ᵃ, 15); neque vero intervallum decem annorum — quod Riese l. c. (cf. idem ad c. LXV p. 198) statuit —, sed exiguum tantum paucorum annorum intercessit inter fratris mortem et iter Bithynicum, quod vere anni 57 in cohorte propraetoris C. Memmii contubernalis ingressus est cf. Schwabe quaest. p. 159sqq. Igitur non ita paucos annos inde a sexto decimo fere aetatis anno his lusibus amatoriis consumpsit. Ac recte O. Harnecker *N. Jahrb.* 1884 p. 770 illud ‚tempore quo' (v. 15) per ‚ubi primum' interpretatus est, ut significaretur ‚ex eo tempore, quo', addiditque haec: ‚*und dieser ganze zeitraum ist ja auch hinterher durch v. 16, der gleichsam das tempore noch einmal aufnimmt, in seiner eigentümlichkeit charakterisiert, iucundum cum .. als die periode des blühenden lebensfrühlings*'. Sed omnes illi iuveniles lusus fratris interitu tota de mente fugati sunt.

Adnectit poeta enuntiatum insequens per ‚quare':

27 *Quare, quod scribis Veronae turpe Catullo*
Esse quod hic quivis de meliore nota
Frigida deserto tepefactet membra cubili,
Id, Mali, non est turpe, magis miserum est.

Ac primum quidem adverbio *hic* in v. 28 nec Romam nec alium locum notari posse nisi Veronam grammatica obliquae orationis ratio coarguit cf. H. Magnus *Ztschr. f. d. Gymn.-W.* 1878 p. 504. — Porro discimus hinc Malium, quippe qui poetica Veronensis studia appellet, Catulli famam carminibus partam iam nosse; deinde, quoniam Veronae vivere indoli eius et studiis parum commodum esse dicit Malius eumque patriam urbem non-

dum reliquisse suspicatur, hinc veri simile fit, Catullum iam complures annos Veronae viventem poesin exercuisse famamque aliquam iam tum apud amicos sibi parasse, priusquam Romam se conferret ibique domicilium poneret. Malius enim quoniam de Catulli studiis poeticis cognoverat, id ipsum miratus est, quod Veronae desideret.

Ita vero cogimur putare Catullum non statim post togam virilem acceptam — ut Riese l. c. p. VII suspicatur — Romam demigrasse neque verum esse, quod B. Schmidt in prol. p. VI posuit, ‚adulescentulum etiam eum Romam commigrasse'. Nam verba illa ‚multa satis lusi' (v. 17) continuo quidem sequentibus excipiuntur: ‚non est dea nescia nostri, quae dulcem curis miscet amaritiem'. Iam enim sentire coepit re vera amaritiem illam amoris dulcedini admixtam in Lesbiae amore. Sed sicut haec duo enuntiata pleniore interpunctione distinguenda sunt, item videntur non solum loco, sed rebus ipsis lusus poetici Veronae tractati a poesis amatoriae et ipsorum amorum lusibus Romae exercitatis discernendi esse. Cum autem iam retro ad illud totum aetatis spatium et Veronae et Romae transactum fratrisque morte distinctum vel finitum respicit, duas illas res ut inter se finitimas et coniunctas sub uno conspectu ponit. Ergo cum his rationibus optime congruit id quod Baehrens in prol. p. 23 suspicatus est, quocum consentit O. Ribbeck l. c. I p. 312, Catullum viginti fere annos natum Romam venisse.

Iam potest factum esse, ut tristi illo casu, quem Malius per hanc epistulam demum cognovit, Catullus Veronae detineretur, quia quod Veronae in tristiore condicione esse Malio videbatur propter mores ibi severiores, id ipsi poetae ‚magis miserum est'. Ceterum vanam illam eorum opinionem, qui Lesbiae aliquam perfidiam, de qua Catullus ab amicis demum per litteras certior factus esset, in ‚deserto cubili' admissam his verbis significari sane incredibili errore coniecerunt, satis iam perstrinxerunt Riese et Baehrens. Nam, ut ait B. Schmidt in prol. p. XI de versibus 27 sqq., ‚cum Catullus . . . Roma derelicta Veronae consideret, Lesbiam se uno non esse contentam iam noverat'.

Rediens ad propositum per ‚igitur' pergit poeta:

31 *Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,*
Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.

Ei igitur causae, cur haec — a Malio petita — munera tribuere non possit, quae causa per se iam satis eum prohibet amici precibus ita ut hic optat obsequi, alteram fere poeta prudenter et commode adiungit, cum dicit se id nunc nequire, quam causam illa congruentiae coniunctione ‚cum' (cf. p. 76. 77 sq.) artissime ita cum priore conectit, ut emolliat et deleniat amico responsum suum. Nam quia Romae vivo — ita fere dicit v. 33—36 —, mecum non habeo magnam scriptorum i. e. carminum copiam et una tantum capsula huc e multis me sequitur. Eam autem externam necessitatem, per quam sibi non liceat omnes preces efficere, amplioribus verbis versibus 33—40 persequitur, non sine arte aut consilio, ut ea iam unica fere causa esse videatur. In talibus enim precibus renuendis externa impedimenta, quae tolli non possunt, rogantem minime offendunt aut laedunt; idcirco haec maxime oratione quadam uberiore exponit.

Addo quod scite H. Magnus de v. 27 sqq. animadvertit *Ztschr. f. d. Gymn.-W.* 1878 p. 497, 3: ‚*Catull .. geht auf den etwas leichtfertigen Ton, den der Freund anschlägt, nicht ein*'. Hanc enim causam eamque veriorem et suae voluntatis magis propriam, per quam a talibus lusibus, quales amicus expetebat, animum suum iam alienatum esse antea dixerat, nunc longius e conspectu removet et reprimit fere, ne fastidire illius preces videatur. His igitur se excusat verbis:

37 *Quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna*
Id facere aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petenti copia parta est:
Ultro ego deferrem, copia siqua foret.

Versus 39 — ubi ‚praestost' Froehlichii magis placet quam Schwabei ‚parta est' — interpretatio pendet a versu 10:

Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.

Iam primum constat hac partitione, qua per *et* .. *et* duae res inter se iunguntur, duplicem aliquam carminum naturam sive duplex genus significari i. e. et amatorias nugas et carmina ad Graecorum imitationem docte expressa cf. Ad. Kiessling l. c.

p. 15 sq. Fr. Schöll l. c. p. 471. O. Harnecker l. c. p. 7 sq., qui similes poetarum Graecorum locutiones satis multis locis firmavit. Id recte Baehrens quoque contendit, sed eam vim nimis detorquet ad singularem quandam oppositionem rerum inter se iunctarum, ‚ad unam elegiam doctam, quod duo eius officia, et consolandi et fabula quadam erotica oblectandi ponuntur' p. 494 sq. cf. ad v. 32. 33 sq. p. 499 sq. Intellegit igitur ‚poemata, in quibus Venus materiam, Musae formam limamque cultam suppeditaverunt' p. 494. Sed poetam non sine aliqua causa in eo orationis membro duplicem notionem distinxisse opinari debemus. Nam, ut aliter omnino fieri non potuit, cum scriberet hanc epistulam Catullus, statim in initio illud respiciebat, quod post de precibus amici exsequendis dicere in animo habebat. Et quoniam lusus illos primae adulescentiae plane se fugasse dicebat, per diversam hanc quam iam sequebatur poesis suae indolem duplex quoddam carminum genus ipse distinguebat, unde consulto opinor in precibus amici significandis et reddendis orationis illam conformationem delegit, qua eas naturas sive genera aliquatenus distingueret nec tamen a principio statim inter se acrius discerneret. Item iudicavit Harnecker l. c. et *N. Jahrb.* 1883. 127. p. 267 *. Simul inde deductus est poeta in his studiorum suorum differentiis notandis eo, ut cum cautione quadam in recusando externam illam causam afferret.

Dicit igitur se prohiberi utriusque generis carmina praebere, sed alterius tantum indolis specimen offert. Utitur autem forma neutrius generis ‚utriusque' in v. 39 certo nomine non addito, ne nimis genera distinguat et separet. Ac ‚munus Musarum' se offerre ipse monstrat allocutione in v. 41 ad Musas facta cf. Fr. Schöll l. c. p. 471, 1. ‚Exspectat igitur — ut Kiesslingii verbis l. c. p. 16 utar — qui ad haec attenderit animum iam tale munus secuturum, quam exspectationem ei frustrantur qui ipso versu quadragesimo carmen finiunt'.

Iam

Ultro ego deferrem, copia siqua foret

poeta versu 40 dicit ad eandem cautionis lenitatem rediens — ‚utrumque' videri supplendum Baehrens adnotat —, qua iam antea

usus est, manet tamen illud ipsi poetae iam longe alium animum esse atque antea.

Nam ad fratris mortem etiam aliud accesserat, quod Catullum non solum a ‚studiis' prioribus i. e. a carminum nugis illis et levioribus primae adulescentiae lusibus abstrahebat et ad poesin altiorem veroque animi spiritu incalescentem deducebat, sed quod etiam effecit, ut is ‚omnis delicias animi' prius quaesitas (v. 26) i. e. leves amoris lusus longe depelleret, Lesbiae amor, quae cum semel domina poetae facta esset, totum eius animum explebat atque etiam spreta in memoria et mente eius una dominabatur. Cuius amor postea depositus ‚expulit ex omni pectore laetitias'.

Hinc ad exitum carminis (= v. 149—160) transeundum est.

Hos quidem versus ab antecedenti elegia in Allii laudem facta per rerum conexum separari non posse nemo negavit, sive illius partem esse dixit sive epistolium illi additum sive epilogum aliquem totius carminis.

Atque in his versibus tanta e medullis amoris vis et veritas prorumpit, quanta semel tantum in vita tam brevi poetam occupavit, ut hic alia nulla puella significari possit, nisi illa ad quam elegia pertinet. Haec autem elegia felicia et infausta eius amoris initia cum varia affectuum et cogitationum fluctuatione aperuit Artum autem esse harum partium conexum statim denotat illud in principio epilogi (v. 149) positum ‚hoc .. munus', quo vocabulo etiam quae in prima parte nominantur ‚munera' amico tribuenda (v. 32) denuo tanguntur.

Versus autem 149—152 sic exhibet Schwabei textus:

Hoc tibi quod potui confectum carmine munus
Pro multis, Alli, redditur officiis,
Ne vestrum scabra tangat rubigine nomen
Haec atque illa dies atque alia atque alia.

Sed quid nunc sibi vult in v. 150 vulgo receptum nomen ‚Alli'? quod Baehrensio tam certum videbatur, ut in commentario ne commemoraret quidem codicis V lectionem ‚aliis', quam Itali mutaverunt in nomen ‚Manli', Scaliger ‚Alli'. Primum id falsum

est neque retineri potest. Huic enim merae quae est coniecturae semper illud obstabit, quod Rieseum quoque movit in adnotatione p. 239 ad c. ‚68ᶜ' facta. In elegia enim de Allio narratur, sed numquam ad eum allocutio derigitur cf. 41. 50. 60.

Porro id nomen omnino ab hoc loco arcendum est propter proprietatem notionis pronomini ‚vestrum' in v. 151 tribuendae. Nam apud Catullum ‚vester' pro ‚tuus' non poni Fr. Schöll in hoc versu monuit et in iis locis demonstravit, quos Schwabe quaest. p. 155 eius usus testimonia esse putabat (*N. Jahrb.* 121 p. 487, 29; de c. LXXI 3 cf. H. Magnus 113 p. 408). Igitur ‚vestrum' hic neque cum Baehrensio ad Alliam gentem referri potest, quoniam hic unus ‚Allius' neque quisquam alius praeter hunc cogitatur (locus autem allatus ex Ov. trist. II 65 nullo modo id probat quod comprobari vult vir doctus); neque cum Rieseo ad Allium eiusque ‚vitam' i. e. puellam vel uxorem, quae cum bonis imprecationibus postea demum a Catullo in valedicendi formula nominatur.

Sed violentum est et temerarium lectionem traditam mutare, quam si reposuerimus, haec habemus verba:

Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis aliis redditur officiis

i. e. hoc confectum carmine munus sive hoc uno carmine constans munus, quod potui reddere, tibi multorum officiorum meorum loco nunc redditur. Est autem ‚carmine' ‚ablativus modum conficiendi indicans' cf. Baehrensii comm. p. 533. Addi potest exemplum Ovidianum trist. IV 4, 11: ‚officium nostro tibi carmine factum' plane Catulliano congruens, allatum ab H. Magnusio *N. Jahrb.* 1875. 111 p. 851. Igitur coniectura ‚quo potui' sive ‚qua potui' reicienda est; ‚quod potui' docet Baehrens locis allatis ‚ubique ad solum verbum regens pertinere', quamquam ipse interpretationis errore ductus Mureti illud ‚quo' probat. Ac per se non multum refert, utrum ‚quod potui' referatur ad verba ‚munus .. redditur' an, quod Rossberg demonstrare conatus est *N. Jahrb.* 129. 1884 p. 648, ad proxima illa ‚confectum carmine' hoc fere sensu: ‚quatenus potui conficere'. Sed ‚quod potui' recte et ad huius loci sententiam apte dici videri adnotavit Vahlen in indice

Berolin. aest. 1882 p. 3* addito novo exemplo cf. O. Jahn spicileg. epigr. p. 108: ‚Hoc . . quo possum munere parvo Prosequor'.

Sed ‚pro' Baehrens et Riese non recte ‚remunerationis loco' intellexerunt; potius *pro multis aliis* est idem, quod ‚multorum aliorum loco' significat cf. XXXVI 1 sq.:

Annales Volusi, cacata carta,
Votum solvite pro mea puella:

i. e. loco sive nomine Lesbiae, ubi v. Baehrensium. Nam de ‚multis officiis', quibus Allius Catullum affecerit, is tantum cogitare potest, qui ‚qua in re' una (cf. v. 41 sq.) ‚quantis officiis' eum iuverit, si definire velit, de multitudine beneficiorum, non de magnitudine interpretetur, ut Baehrens iniuria fecit in v. 42 (= LXVIII^{b} 2). Sed quidquid affert, vocabula ‚quanti' et ‚quot' numquam idem significant. Id quidem Riese recte adnotavit.

Sed quoniam ‚Alli' nomen per vim tantum et libidinem Scaligeri ingeniosam, Italorum interpolatione excitatam, huic loco illatum est, iam lectionibus *aliis* et *quod potui* ab interpretum impetu vindicatis ea impedimenta removentur, quae ad epilogi rationes intellegendas aditum praecludebant. Baehrens hunc totum epilogum ad Allium derectum interpretatur, quae interpretatio, quamquam per eam nec notio vocabuli ‚vestrum' explicari potest nec illud, cur subito in hac parte allocutio aliqua Allii fiat, tamen in ceteris rebus secum ipsa congruit. Riese autem duas rationes inter se diversas confundit, cum hunc epilogum comitem fuisse poematis antecedentis putat, sed ita ut poeta in v. 150 Allium alloqueretur, simul autem reliqua omnia ad Malium derigeret, unde error fit inexplicabilis. Similis est error primum a Westphalio deinde ab aliis admissus de ‚hospitis officio' in v. 12 commemorato, quod refert ad v. 66 sqq. et ad v. 156.

Non igitur coniecturae remedio opus est, quod frustra quaesitum est, sed ad traditas lectiones redeundum est, quibus servatis iam manifestum fit poetam hunc epilogum addidisse, cum ad Malium amicum pro altero petentem elegiam praecedentem mitteret.

Porro ultro apparet, continuari prooemium illud — ut dicere nunc licet — ipso epilogo. Inde nova quaedam Malii allocutio non erat necessaria, quia elegia addita sive inserta nihil aliud

fit, nisi ut expleantur quae in prooemio incepta sunt. Vocabula igitur ‚munus' et ‚officia' cum prooemii significatione hic repeti iure Riese cum aliis viris doctis contendit cf. p. 218.

Hanc autem elegiam se mittere dicit poeta multorum aliorum officiorum loco i. e. quia alia multa ei praestare prohibeatur; quibus verbis denuo non solum illud excusat, quod plura sive multa carmina sibi praesto non sint, sed etiam excusationem suam in maius auget, cum dicit si fieri possit, se multa ei officia tribuere paratum esse. Idem fere indicabant prooemii versus proxime elegiae praecedentes, quibus se nec ‚munera' desiderata tribuere dicit nec ‚copiam' praebere posse, quoniam ‚ex multis' unam tantum capsulam secum habeat.

Nihil vero nos cogit opinari Veronae demum id carmen scriptum esse, ut Baehrens p. 519 e versibus 97 sqq. de fratre in Troia sepulto concludit his:

Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
Nec prope cognatos compositum cineris,
Sed Troia obscena, Troia infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.

Nam qui ita dicit, ei item Romae dicere conveniens est illud ‚tam longe' et fateri eum dolorem, quod frater non ‚prope cognatos cineres' sepultus sit. Sed quomodo altero loco v. 135 sqq. rumores de Lesbia Veronam allati significentur cf. p. 537, equidem non dispicio. Immo ea res iam explorata erat Catullo nec Veronae demum comperta, sed Romae. Quod aperitur v. 135 sq.:

Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundae furta feremus erae.

cf. supra p. 109. Praeterea qui legerit v. 31—40, in quibus Catullus potius illud excusat se ‚scriptorum non magnam copiam' secum habere unamque tantum capsulam huc se sequi, is non cogitabit de carminibus Veronae faciendis, sed iam antea factis. — Accedit quod tum a Musis dolore confectus sevocabatur neque poterat ‚dulces Musarum expromere fetus mens animi', ut est in c. LXV 1—4.

Nam Verona eo tempore ad amicos missa sunt fortasse carmina LXV et LXVI (cf. O. Harnecker *N. Jahrb.* 127. 1883.

p. 266.) certe c. LXVIII. Et carmen LXVI e Callimacho conversum, etsi 'in tantis maeroribus' propter fratris mortem erat (v. 15), amico Romano Q. Hortensio Ortalo misit simul cum ea epistula, quae carminis LXV loco numeratur, nec tum demum rogatus, id quod arguunt versus 17 et 18 cf. infra p. 124 sq. — Sed alia est causa et alius ordo carminis LXVIII, quod non item in epistulam et elegiam separari potest. Nam ad elegiam referuntur epilogi quaedam, simulque prooemium sive epistula epilogo continuatur et suppletur.

Praeterea cur miremur cum Baehrensio Rieseoque, quod huius epistulae oratio prosae est similior — quod primus Westphal p. 71 observavit — et diversissima ab elegiae arte, nulla iam exstat causa.

Iam vero quod ex his quae enucleavimus credibile videri potest poetam elegiam iam confectam Roma Veronam attulisse, id stabilitur satis certis praeterea argumentis.

Nam mirati sunt interpretes, quod versus illi pulchri 19 sqq. eidem fere essent atque ei, qui 'in uno eodemque carmine' alio loco (91 sqq.) repeterentur. Sed in elegia hi versus necessarium habent locum rerum conexu postulatum continuoque illo cogitationum ordine devinctum, per quem quam fatalis Troia Protesilao Laodamiaeque et Catullo fuerit exponitur. Includuntur enim utrimque ita Troiae commemoratione, ut ad priorem in v. 88—90 ter repetitam aeque pertineant atque ad posteriorem bis factam in v. 99 sq. Itaque 'fratris epiphonema salva sententiarum structura eximi posse', ut ait Ad. Kiessling l. c. p. 17, nemo facile assentietur. Ergo non ipsi prooemio facti sunt et inde huc translati, quod Baehrens factum esse putabat cf. p. 503, sed contra ex ipsa hac elegia desumpti illo loco repetiti sunt, paululum tamen immutati et aucti, ad illud excusandum, quod amici preces aliter atque ille velle videbatur efficeret. Malius autem eo usque de Catulli fratris morte nihil cognoverat. Iam si utrumque carmen legebat et epistulam cum epilogo et elegiam, inveniebat eosdem fere versus in his duobus locis, sed in altero simul excusationis causa:

Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit

unde comperit paulo ante illum mortuum esse; et illud:

Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater.

Quem versum consulto referri ad v. 11:

Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Mali,

rectissime Kiessling l. c. monuit.

Inde illud quoque firmatur hanc elegiam ante epistulam iam perfectam fuisse.

Laetitiae autem illius, qua, etsi Catullus aliquo fortunae suae metu tangitur et paucioribus quam ipse velit contentus videtur cf. v. 135 sqq., tota tamen de Lesbiae amore narratio perfunditur, paene plenior etiam eminet affectus et acrior ardor in epilogo (v. 159 sq.), in quo amicis felicitatem imprecatur et Lesbiae maxime his verbis:

Et longe ante omnes mihi quae me carior ipso est,
Lux mea, qua viva vivere dulce mihi est.

Certe tempus, quo epistula scripta est, ab eo quo elegia facta est, parvo tantum spatio, sed tamen aliquo distat.

Quoniam in v. 149 *tibi* Malium significat, *vestrum* (*O. G* vestrum, *M* nostrum *i. e. vostrum* cf. K. P. Schulze l. c. p. 590) in v. 151 hunc et Allium simul notare debet. Optime igitur hi versus et inter se et cum praecedentibus cohaerent; alloquitur hic poeta eum, quem in initio allocutus est adiungitque huic alterius memoriam, quam in elegia celebravit:

149 *Hoc tibi quod potui confectum carmine munus*
Pro multis aliis redditur officiis,
Ne vestrum scabra tangat rubigine nomen
Haec atque illa dies atque alia atque alia.

De ‚diei' notione ad tempus vel temporis aliquod spatium translata cf. Ovid. trist. I 5, 12 sqq. Addere iuvat Muretum quondam adnotasse ad c. LXI 192 ‚sed abit dies': ‚diem dicit pro tempore, iam enim nox erat' (K. P. Schulze *Zeitschr. f. d. G.-W.* 1877 p. 703). His verbis poeta simul ea tangit, quae de Allio optavit v. 45 sqq. Optat enim ibi id carmen, quo Allii merita celebraverit, in capsula servatum loco suo non neglectum iacere nec oblivioni mandatum araneisque opus facientibus, sed chartam illam loquacem multos habere legentes et de Allii officiis sibi tributis certiores facere. Similiter in epilogo iam dicit se morari nolle

aut cunctari, quin extemplo id munus ‚confectum carmine' sive officium Malio praebeat, ne eius et Allii nomini per moram usque novam quasi rubigo adhaerescat, sicut nos de amicitia et amore eadem translatione utimur. Adhibuit translate Ovidius in trist. V 12, 21 ‚ingenium longa robigine laesum' (Baehr. p. 533). Sed ‚araneae telam', nisi si de araneae opere cogitari posset, umquam translata oblivionis notione adhibitam fuisse negari debet. Aliter sensit H. Magnus *N. Jahrb.* 113. 1876. p. 403: *die spinnweben sind gewiss (ebenso wie der rost in v. 151) nur bildliche bezeichnung der vergessenheit und vernachlässigung. Der gedanke ‚dein name möge noch in später zeit in unvergänglichem ruhme glänzen' ist negativ ausgedrückt* itemque Riese interpretatur; de qua interpretatione quamquam probavit Baehrens ipse p. 505 dubitare tamen videtur.

Nam elegia illa nunc primum publici iuris facta Allii nomen celebratur. Iterum igitur ex Allii laudatione aliquid repetitum fere in epilogum transfertur, sicut versus ad fratrem pertinentes in prooemium. Quando Catullus et quamdiu tum Veronae commoratus sit nescitur. Baehrens cum veri similitudine statuit eum annis fere 60 et 59 ibi fuisse cf. prol. p. 28, cui tempori alia quaedam res convenit.

Initium elegiae v. 41 sq.:

Non possum reticere, deae, qua me Allius in re
Iuverit aut quantis iuverit (auxerit?) officiis.

non pendere ullo modo ab epistula praecedenti vidimus; neque enim reticere voluit haec Allii officia non Malio, sed Musis. Quam enim beatitudinem in Lesbiae amore sentiebat, haec eum impulit ad hanc elegiam componendam nec tamen omnem iniuriae alienam uxorem appetendo factae memoriam eum amisisse, haec ipsa patefacit elegia cf. Baehr. prol. p. 27. Ac morte fratris illud quoque effectum esse convenit, ut in adhibenda fabula Laudamiae severioris animi cogitationisque vestigia sequeretur in hac amoris sui felicitate describenda, hoc tam tristi casu a levioribus lusibus deliciisque abductus. Sed dum Lesbiae ‚furtiva munuscula ex ipso dempta viri gremio' (v. 145 sq.) aliaque commemorat, id quidem arguere videtur tum primum licuisse elegiam in publicum edere, quamquam iam facta erat. Atque id tum demum ei licuisse videri

puto, cum Q. Metellus Celer Lesbiae maritus a. 59 medio mortem obisset. Sed ipsam elegiam post huius mortem demum compositam esse ne credamus, quod credidit O. Harnecker *Progr. Friedeberg Nm.* 1881 p. 13, vetant et Catulli sensus cogitationesque modo descriptae et v. 145 sq. Quamquam enim quae in his versibus dicta sunt etiam mortuo marito dici poterant, tamen ut ita diceret, Catullum mariti vivi memoria adductum esse facile fortasse concedetur.

Nonnulla addo de reliquis epilogi versibus. Illum, propter quem Malius Catullum adierat, iam non notari consentaneum est. Sequuntur enim poetae vota pro Malii eiusque uxoris salute facta (v. 155), nam de puella cogitare non licet —; deinde in versu 156 pro domo Allii, in qua sibi cum Lesbia conveniendi potestas data fuerit cf. v. 66 sqq. Sed is corruptus est. Habebat codex V:

Et domus in qua lusimus et domina,

ubi ut lacuna expleretur ab Italis scribebatur ‚domus ipsa, in qua' ‚domus, ipsi in qua' ‚domus, in qua nos'. Mihi quidem aptius videtur pronomen *ista,* quod propter litterarum quoque similitudinem post ‚us' et ante ‚in' intercidere poterat. Tum addit vota pro eo, a quo primo omnia bona sua originem traxerint (v. 157 sq.), et pro carissima sua Lesbia (v. 159 sq.).

Nescimus, quis primus Catullo Lesbiae noscendae occasionem dederit; P. Alfenum Varum Cremonensem fuisse B. Schmidt in prol. p. IX suspicatus est. Tertius igitur quidam praeter Malium et Allium significatur cf. Baehr. p. 535; et quamvis graviter illud ‚terram dedit auferi' corruptum sit, hoc iam mihi videtur constare allocutionis pronomen ‚te' hic non desiderari. Nam cum versu 155 Malium denuo in voto allocutus sit poeta uxorisque significationem adiunxerit, addit in v. 156 per ‚et' novam precationem de domo Allii, quem per epilogum alloqui non potest, item in v. 157 per alterum ‚et' et in v. 159 per tertium, quod addito ‚longe' (sc. felix sit) maximam vim accipit, res ad Malium ipsum non pertinentes inducuntur. Ergo in v. 157 allocutio fuisse non potest. Ac ne proprium quidem nomen hic latere puto ut Baehrens p. 535 conicit, sed locutionem aliquam, quae per alium

quendam primum aditum ad Lesbiam Catullo paratum fuisse significabat.

Quoniam nunc vidimus hac quam proposuimus interpretatione difficultates quae antea obstabant omnes ultro fere removeri, hinc rursus ipsius illius interpretationis veritas firmatur. Tripertitum igitur est hoc totum carmen vel potius bipertitum, sed ita ut nulla trium harum partium a reliquis avelli possit, et hac re dissimillimum carminibus LXV et LXVI, quod reapse hae partes necessaria et individua unitate consociantur. Iam si typis quoque ea condicio repraesentanda est, id ita tantum fieri potest, ut versus per has tres partes continuo numerentur, sicut hucusque plerumque factum est, sed prima pars ab altera, haec a tertia unius versus spatio dimoveantur. Quod nunc videmus factum esse in B. Schmidtii recognitione.

Versus 27—29 sic edidit Schwabe:

Quare, quod scribis Veronae turpe Catullo
Esse quod hic quivis de meliore nota
Frigida deserto tepefactet membra cubili,

sed in v. 29 traditur ‚tepefacit' aut ‚tepefactat' (*M* tepefacit al factat cf. *Hermes* 1888 p. 573). Sed eam lectionem corruptam esse neque licere reponere formam aliquam per ‚tepe—' compositam bene demonstravit Baehrens p. 498sq.; tamen ‚torpescit', quod ipse repositum vult, sententiae hic desideratae non est propria vox. Quomodo enim ‚torpescit' is, qui amica caret? Quae sit torpescendi vis, id declaratur verbi ‚torpefaciendi' sive ‚torporandi' notione. Nonius p. 182 M. praebet haec: ‚torporavit, pro torpefecit. Turpilius Hetaera:

eru' stúpidus adstat: íta eius aspectús repens
cor tórporavit hómini amore.'

Scribendum est per coniunctivum ad alienam opinionem denotandam id, quod codicum quoque apicibus accurate respondet:

Frigida deserto tabescat membra cubili.

Ac de accusativi usu vide locos iam a Baehrensio allatos c. LXIV 64. 65. Nam ‚tabescere' est desiderio confici sive ‚torquerier

igni', quod a Propertio III 6, 39 de eadem re dicitur, quam Cynthia queritur ibidem v. 23:

gaudet me vacuo solam tabescere lecto.

Adde I 15, 19 sq.:

Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Ut semel Haemonio tabuit hospitio.

Adde Lucret. IV 1112 B.

In Ciris v. 247—249 anus nutrix ad Scyllam conversa iuro, inquit,

Omnia me potius digna atque indigna laborum
Milia visuram, quam te tam tristibus istis
Sordibus et carie patiar tabescere tali.

Item de eadem re 'tabes' 'tabidulus' 'tabificare' dicuntur; cf. Cir. v. 254:

Persequitur miserae causas exquirere tabis.

Cir. v. 181 sq.:

Atque ubi nulla malis reperit solacia tantis
Tabidulamque videt labi per viscera mortem.

Epigramma in pariete inscriptum Pompeianum nuper repertum, in quo oculi genas large lacrumis madefacientes incusantur, hoc est cf. Buecheler *Rh. Mus.* 38 p. 474. Baehrens *N. Jahrb.* 127 p. 798:

Aedi]tui, me, oculei, posquam deducxstis in ignem,
Lump]hae vim vestreis largificatis geneis
Frustra:] non possunt lacrumae restinguere flamam,
Hae]c os incendunt tabificantque animum.

Initio versus tertii supplevi 'frustra'.

Similis est notio graeci τήκειν, τήκεσθαι de animi aegritudine. De puella omnia praeter concubitum concedente Paulus Silentiarius in A. Pal. V 272, 5. 6 dicit:

Ἥμισυ γὰρ Παφίῃ, τὸ δ' ἄρ' ἥμισυ δῶκεν Ἀθήνῃ·
αὐτὰρ ἐγὼ μέσσος τήκομαι ἀμφοτέρων.

Huius carminis versum 60 M. Haupt in quaest. Catull. p. 87—90 (= op. I p. 63 sq.) accurate quondam tractavit, cuius coniectura ingeniosa, qua 'sensim' vocabuli 'densi' loco reponebat,

non solum ab ipso retenta est, quamquam sua inventa non magis quam aliorum vera diligebat, sed etiam nunc certa fere emendatio existimari videtur, nisi quod Schwabe eam in textum tamen non recepit. Et quoniam in legendis et excutiendis poetae verbis de eius coniecturae veritate invitus dubitabam, mox cum perspexisse mihi viderer, quid in ea ad verborum conexum efficiendum et ad totius sententiae ordinem servandum deesset, eam improbare coactus sum. Sed totum eum locum, cui versus ille coniunctissimus est, cum intueri necesse sit, hic e Schwabei recognitione proponamus:

57 *Qualis in aerii perlucens vertice montis*
Rivus muscoso prosilit e lapide,
Qui cum de prona praeceps est valle volutus,
60 *Per medium densi transit iter populi,*
Dulce viatori lasso in sudore levamen
Cum gravis exustos aestus hiulcat agros.

Atque ut a mediis verbis profecti et de prioribus et de posterioribus iudicare possimus, satis fere est illud significasse rivum, qui dulce viatoris lassi levamen diceretur, ad ipsam planitiem, per quam iter ferret, pervenisse debere. Inde continuo mutatio illa, per quam loco vocis *populi* reponendum esse ‚scopuli' Huschke cogitavit, temeraria videtur, id quod Haupt l. c. p. 88 iam amplius demonstravit: ‚praeposteram' appellat scopulorum commemorationem, quos rivum iam eluctatum esse consentaneum sit. Praeterea, ne quid ex eius argumentis neglexisse videamur, ostendit nullo modo licere per sermonis proprietatem coniungere ‚densi scopuli iter' aut per Catullianae orationis simplicem venustatem ita verba construere, ut ipsius iter rivi transire dicatur per medium scopuli. Ac si Huschke opinabatur dici posse rivum per medium densi scopuli iter suum transire, ne id quidem rectum esse Haupt firmavit, quia ‚densi scopuli' cum vero sensu de rupibus dici non potest.

Sed ‚densi' intellegi nequit. Cur enim densum esse populi agmen debet ad rivi transitionem? cur viator per densam hominum multitudinem incedere debet, ut rivus ei levamen sit? Inde M. Haupt illud ‚densi' vitiosum esse ratus orationis venustatem restituisse sibi visus est reposito ‚sensim'. ‚Describitur — inquit

p. 89 — rivus primum in vertice alti montis prosiliens, deinde per praecipitem vallem deorsum sese volvens, denique in planitie viam aliquam cursu placidiore et pedetentim transiens'. Tum apte et concinne eius vocabuli notionem docet et pergit p. 90: ‚Itaque apud Catullum hoc adverbium ‚sensim', quoniam lente rivum procedere significat, satis demonstrat pervenisse eum in planitiem. Atque ut planitiem cogitatione informemus adducimur etiam eo, quod adiectum est *iter populi*'.

Quomodo autem id fieri potest, ut rivus iter suum conficiat per medium populi? aut ut medium iter populi transeundo secet? Ac si per se intellegi possit pontem in eo factum esse, cur poetae tamen necessarium visum est per mediam viam rivum fluentem facere? sed si praeter viam fluit sive praeterfluendo viam transit, *transit iter populi* recte dicitur.

Nam transeundi verbum non solum duas illas quas M. Haupt l. c. constituit notiones habere potest, sed tres. ‚Transit iter populi' secundum Hauptii interpretationem aut qui viam aliquam, per quam fit iter populi, transmittit sive secat aut is qui iter suum per omnem eius viae longitudinem transeundo conficit. — Sed addendum est rivum etiam ita iter populi ‚transire', ut huius iter, non suum, per quandam longitudinem praeterfluens conficiat. Nam quid tam singularis rivi alicuius condicio velit, qui viam, per quam iter fit populi, totam ab initio usque ad finem comitetur et praeterfluat, obscurum est. Praeterea accedit tertia praetereundi sive superandi notio vel hominem vel locum, ultra quem quis antecedit. Ut Ovidius met. X 672 de Atalanta:

Consequitur transitque virum

sc. cursu, mox tamen ipsa rursus v. 680 ‚praeterita est virgo'. Adde v. 686 cf. 691 et de fugiente Medea VII 368. Sed haec notio Catulliano loco non est apta.

Itaque ‚per medium densi transit iter populi' nullo modo intellegi potest.

Sed ‚sensim' ad totius loci rationem accommodatius esse negari debet. Inane fit id vocabulum, si duo sequentes versus adsciscuntur:

Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Cum gravis exustos aestus hiulcat agros.

Nam nihil omnino refert utrum sensim an cito rivi undae eant, siquidem per medium transeunt iter populi.

Certe ea inanitas vocabuli omnino ferri deberet, si totum locum eius inanitatis vano ornamento ab ipso poeta instructum fuisse credendum esset, quod Haupt statuit. Nam ‚ipsa comparatio — inquit p. 90 — cum in eo posita sit, ut dicat Catullus tantam lacrimarum sese profudisse copiam quanta ubertate rivus prosiliat, quod deinde rivus per vallem se devolvens et per planitiem lento cursu fluens describitur, nihil quidem ad lacrimas pertinet neque quicquam ad declarandam similitudinem affert momenti, sed suavi degressione et propositi quasi oblivione lectores fallit'. Refertur id vulgo ad Alexandrinorum morem. Alexandrini vero poetae etsi longiores in comparationibus degressiones adamabant Homeri imitatione deducti, qui earum rerum ordinem unde comparationis unum aliquod momentum sumit, secundum ea quae per vitae consuetudinem, experientiam, usum fieri solent, plenius et copiosius describit, tamen eo usque aberrare non potuerunt, neque Catullus eorum imitator tantum aberravit, ut vel lacrimarum nomine rivi alicuius cursum a fonte deductum per inanem rerum fortuitarum descriptionem sequeretur. — Sed equidem harum rerum, quae lectoribus imponuntur, nihil in me expertus sum, nec suavitatem degressionis nec eam oblivionem, sed semper poetae inscitiam aegre ferebam, si eam re vera inanem comparationem pro degressionis ornamento ut existimarem ab interpretibus cum violentia monebar.

Quaerant velim interpretes e Catullo aliquam similitudinem, cuius maxima pars et quae imprimis in legentium animo haereat, simili modo omnino nihil commune habeat cum ipso comparationis momento; si invenerint, interpretationem supra propositam comprobabo. Nam si poeta dilatavit imaginem et per singulas res persecutus est in carmine ad Ortalum scripto v. 15—24, quem locum Haupt attulit ad ‚Catulli venustatem consimilem' priori illi demonstrandam, ibi certe comparationis ratio tenetur.

Catullus enim non tum demum sollicitatus ab Ortalo id misit, id quod ex silentio initium carminis LXV et disertis verbis versus 17 et 18 arguunt. Is igitur iam pridem poetam admo-

nuerat de Callimacheis convertendis, maxime — ut iure suspicatus est Baehrens ad v. 17 sq. p. 456 — ut vires exerceret. Ac ne ‚dicta' eius, quod vocabulum ut multo gravius in hac re adhibuit Catullus, irrita fuisse putet et ex animo suo ‚effluxisse', eam ob causam mittit ‚haec expressa carmina Battiadae'. Ergo illud quod vel suaserat vel optaverat amicus ut rem sibi ‚creditam' ultroque per amicitiam oblatam etsi cum fide servaverat eiusque vel consilium vel admonitionem secutus erat, tamen nunc demum aliqua re subito vel de amico commonefactus vel excitatus hoc carmen Callimacheum amico mittit, non sine ‚conscio rubore', sicut puella sponsi malum in gremio servatum excutit invita, dum eius oblita prosilit. Plura quidem ex more illo Alexandrino affert comparatio quam quae necessaria sunt, ea tamen nec molesta nec omnino inania. Sed qui aliter hunc locum interpretantur, eam faciunt inanitatem, ut carminis illius munus cum munere alio quopiam sine ulla similitudine conferatur.

Iure igitur nunc mihi contendere videor aut ineptos esse versus 59—62, siquidem tanta moles inde a versu 57 exstruitur ad comparationem lacrimis madentibusque genis adhibendam, aut eam comparationem ad lacrimas illas omnino nihil pertinere. At enim animum advertit comparatio illa v. 57. 58

Qualis in aerii perlucens vertice montis
Rivos muscoso prosilit e lapide

simillima Homericae I 13

ἂν δ' Ἀγαμέμνων
ἵστατο δάκρυ χέων ὥς τε κρήνη μελάνυδρος,
ἥ τε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ·

ita tamen ut *μελάνυδρος* et *δνοφερὸν* conversa sint in contrariam notionem *perlucens*.

Iam ea comparatio Catulliana, si non ad lacrimas refertur, etsi illud cogitari, sed nunquam stabiliri potest poetam sive Catullum sive Alexandrinum aliquem ad eius usum deductum esse lacrimarum memoria Homerica, ad sequentia pertinere debet, nam aliud non relinquitur. Inde illud quoque cum veri similitudine explicatur, cur poeta mutato exemplo ‚perlucentem' rivum appellaverit. Nam ipsa illa lucida aquae species laetam praebet levaminis spem poetaeque consilio, qui de Allii auxilio sibi gra-

viter laboranti praebito per ipsam hanc imaginem cogitare coepit, aptum affert subsidium.

Sed redeundum est ad vocem *medium*, quam ex eis quae supra disputavimus facile cum Baehrensio suspecta fide esse arbitramur. Certe nullo modo verbis *iter populi* accommodari potest. Itaque vocabulo ‚medium’ addendum est substantivum aliquod, quo referatur, aut ipsum est corruptum.

Rivus igitur, qui in altissimi vertice montis prosiluit, primum *de prona praeceps est valle volutus* i. e. ad vallis pronum et praeruptum latus devenit, ubi per pronas fauces convallium praecipiti cursu ad inferiora loca fertur nec tamen ita planitiem statim contingit, sed per declive demum fluens ad radices montis pervenit. Nam ipse decursus notandus erat, sicut iisdem vocabulis adhibitis Catullus in LXV 23 dicit: *prono praeceps agitur decursu.* Tria igitur cursus momenta notantur in rivo: primum, dum prosilit; alterum dum de prona valle praecipitatus per declive volvitur; tertium, dum per campum perfluit. Ac tentamen illud, quo per medium densi ‚scopuli’ rivo via destinabatur ab Huschkeo, etsi per sermonis usum ferri non poterat, tamen recto nitebatur sensu.

Iam ut emendandi periculum faciam, scribendum mihi videtur:

Per medium clivom transit iter populi.

Perfacile ‚cliuō’ sive ‚cliuū’ in ‚densi’ abire potuit. Accedit ut viator e *gravi aestu* sudore defessus, si procul lucidam aquam per clivum defluentem conspexerit, quam per convalles cadentem conspicere nequit, laetitiam suscipiat talis levaminis spe. Similiter Allius Catullo aegritudine confecto id ‚levamen’ paravit, ut rivus ille est

Dulce viatori lasso in sudore levamen,

quod auxilium ille tulit velut nautae iactato aura secunda exoptata venit (v. 63—66). Comparationi igitur a poeta studio quodam talium ornamentorum nova additur similitudo, sicut in c. LXI 16—25 prior ad paris illius pulchritudinem pertinens comparatio altera addita expletur praesertim virginali decore descripto. Nam Manlium quoque priore comparatione tangi, nomina Vinia et Manlius iuxta posita, sicut Phrygius iudex et Venus satis declarant. Dubitavit Baehrens p. 296 sine iusta causa.

Itaque totus hic locus ita distinguendus est, ut post ‚genae' in fine versus 56 punctum ponatur. Nam antecedenti ab hac separanda comparatione ardor amoris illustratur (v. 53 sq.). Deinde versus 59 et 60 nullo signo separari debent; versus autem 62 colo finitur. Ac prior comparatio incepta a ‚qualis', dum res descriptae uno vocabulo comprehenduntur fere, voce ‚hic' in initio versus 63 posita continuatur; absolvitur et conficitur pronomine demonstrativo ‚tale', quod ad ‚qualis' refertur.

---

3. Analecta.

I. Quae supra p. 76—78 de coniunctione ‚cum’ notionem congruentiae habenti disserui, ea nunc ita supplere constitui, ut locos quosdam Catulli huc pertinentes afferrem aliosque adderem, in quibus illud ‚quom’ reponendum esse videretur. Nam etsi minime superfluum est id dicendi genus Catullo solitum curatius tractare, tamen quo magis mihi ipsi ea pervestigatione tota fere instituta constitit, nisi hoc universo loco grammatico inspecto notionem et usum coniunctionis ‚quom’ explanari non posse, id eo minus per harum quaestionum Catullianarum angustias fieri licet. Nunc adnotasse satis habeo Rieseum ad c. 68, 32 nisi ‚temporalem’, tamquam si is unus esset aut primarius, nullum statuisse alium usum in Catullo, qui quidem saepius quam alii indicativum ei coniunctioni adiunxisse dicitur.

Est igitur notio quam dicimus haec, ut in enuntiati secundarii actione altera actio, quae illi adiungitur, et tempore et re consistat. Inde opinor consentaneum fere est cum eius nexus natura in his duobus enuntiatis tam necessario iunctis verbi tempora aut eadem esse aut ad idem actionis spatium pertinentia. Prudentes quidem is usus omnino fugere non potuit, sed quo loco ea temporum aequalitas habenda sit, utrum rei accidentis vel fortuitae loco an necessariae, id multo gravius est ad eius coniunctionis originem et proprietatem vere cognoscendam quam E. Hoffmann, quem pro reliquis omnibus nomino, opinatus est. Conectuntur igitur inter se tempora praesentia ut in c. LXII 14 cf. p. 23—25, LXVIII 8. 32 cf. p. 106. 110, LXXVI 2:

Siqua recordanti benefacta priora voluptas
Est homini, cum se cogitat esse pium,

Nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
Divom ad fallendos numine abusum homines,

adde c. XCVI 3, de quo loco nunc plura disserenda sunt. Sed totum id poemation inter pauca admirabile et ex intimo animo poetae oriundum hic exhibemus secundum Schwabei editionem:

Si quicquam muteis gratum acceptumve sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores
Atque olim missas flemus amicitias,
Certe non tanto mors immatura doloreist
Quintiliae quantum gaudet amore tuo.

Id autem carmen uno et continuo verborum circuitu circumscribitur, quod si recte intellegere volumus, mediam orationis partem primum intueri oportet. Quae pars utrum cum prioribus duobus versibus 1 et 2 an cum proximis 5 et 6 artius coniungi debeat, unicuique constiterit, qui quantum Quintilia renovato amore amicitiaeque memoria redintegrata gaudere dicatur attendat. Ac primum quidem, etsi disertis verbis alibi non memoratur, Quintiliam quae hic nominatur Calvi uxorem fuisse, tamen et hoc nomen verum, non fictum esse Schwabe iure contendit et, quod conveniens est Propertii testimonio II 34, 89 sq. de carminibus amoris, qualia cum alii scripserunt tum

Haec etiam docti confessa est pagina Calvi,
Cum caneret miserae funera Quintiliae,

id omnino probabile esse Baehrens p. 581 demonstravit; certam rem esse Riese ultro sumpsit. Vide praeterea quae B. Schmidt in proleg. p. LIV disseruit. Sed accedit huic sententiae satis validum subsidium ex ipso hoc Catulliano carmine.

In versu 3 codex *G* praebet ‚quo’, *O* ‚que’, unde vel ‚quo’ vel ‚qui’ ‚quei’ vulgo in textu reponitur. Ac verbis ‚quo desiderio’ compensari non posse notionem ‚doloris’ satis acute Baehrens p. 580 indicavit; potius ‚desiderio’ et lacrimis (= ‚flemus’) ille dolor expletur. Sed neque lectio ‚quo’ neque ‚qui’ probari potest. Et opinatur Baehrens p. 581 poetam, cum prima persona pluralis numeri in v. 2 et 3 et 4 utatur, superstites vivosque omnino mortuis opponere, non se et Calvum, quamquam subsequitur statim vocabulum ‚nostro’ allocutio ‚Calve’. Sed, quoniam

Catullum proprietatis virtute et in rebus et in oratione excellere concedi debet, certe fatebuntur interpretes hic quoque ‚ex eius poesis consuetudine suspicandum esse poetam proprium aliquem dolorem his verbis inclusisse ac potius amicum et se ipsum mortuis opposuisse. Amico igitur sensus sui et doloris ea communione significata consolationem aliquam praebere voluisse putandus est’; ‚nostro’ non ad universos homines relatum, sed ad hos duos pertinens ita demum suam vim recipit. Quid? si quis pluralem numerum ‚sepulcra’ parum firmari putet eodem de uno Achillis sepulcro numero in c. LXIV 368, nonne tum attinet monere Catullum quoque sepulcrum aliquod unius e suis, fratris dilectissimi praemature mortui, ipsum coluisse? Quis non meminerit carminis CI? in quo ubi ad fratris sepulcrum advenit *mutam adloquitur cinerem* et cum fraterno fletu iusta solvit. Nam carmen ad Calvum datum non primae adulescentiae esse ultro apparebit.

Porro Quintiliae mortem ad utrumque pertinuisse proximis aperit, dum *veteres amores* Calvi mariti, *amicitias* ipsius significat, quae olim fuerint. Sed ‚missas’ ferri non potest, *olim* vero e toto sententiae nexu cum vocabulo ‚amicitias’ coniungere licet; sed per quam structuram quaeritur. Quod iam Livineius fecit, sed ita ut divelleret ‚olim’ a ‚missas’, quamquam Baehrens recte monet nunc illud non bene cum hoc coire. Sed ‚missas’ corruptum esse constat, ac sive ‚iunctas’ sive ‚nexas’ vel tale aliquid reponitur, deest quiddam affectus, quod ‚amicitias’ inter Calvum uxoremque eius et Catullum intercedentes notet. Inde suspicio mihi nata est scribendum esse:

atque olim i n t e r n o s flemus amicitias,

quia amicitiaē olim inter Calvi coniugem et Catullum iunctae ita apte respondent viri et uxoris ‚veteribus amoribus’. Facile autem ‚ıᴛernoſ’ in ‚miſſaſ’ mutari potuit. De hac praepositionis et adverbii collocatione, quae notionem efficit attributivam, cf. Kühner l. c. II p. 165 sq. Sed in ultimo disticho, ut decebat, Calvum unum nominare voluit uxoremque eius, non se quoque.

Iam vero, etiamsi ‚qui .. renovamus .. atque .. flemus’ ad certos homines referatur, illud ‚qui’ nihilo aptius hac actiones antecedenti membro adnectat. Nam manifestum est pronomine relativo tantum personis vocabulo ‚nostro’ significatis eas actiones

additas tribui; contra sequentia arguunt, in his ipsis actionibus i. e. in amorum et amicitiarum memoria recolenda causam et occasionem constare, unde Quintiliae sensu suo apud inferos fruenti plus gaudii quam doloris paretur. Sed hanc sententiarum necessitudinem non efficit ‚qui’, sed *quom* iam a Guarino commendatum. Pleitner quoque 1876 p. 61 hoc probat, sed vim explicativam, quam vulgo dicunt, falso ad notionem ‚dolore’ rettulit. Tota igitur periodus per litteras a (b A) ita describi potest, ut artiore vinculo alterum membrum secundarium, quod singularem infert condicionem, cum enuntiato primario cohaereat quam prius, quod ipsum praemittitur ut communis condicio coniunctis posterioribus partibus.

Respondentia inter se ponuntur futura prima, velut in c. VIII 14. LXIV 344. 350. 363; quae structura restituenda mihi videtur in c. LXVI 74. Quoniam totus locus inspici debet, reddam hunc e Schwabei editione sic distinctum:

Sed quamquam me nocte premunt vestigia divum,
Lux autem canae Tethyi restituit,
(Pace tua fari hic liceat, rhamnusia virgo:
Namque ego non ullo vera timore tegam,
Nec si me infestis discerpent sidera dictis,
Condita quin verei pectoris evoluam),
Non his tam laetor rebus quam me afore semper
Afore me a dominae vertice discrucior,
. . . . .

Parenthesis huius loci, in qua coma excusat verborum v. 75. 76 sequentium atrocitatem, initium capit a versu 72, non a versu 71. Hic enim excipitur ipsa comae oratione in v. 75 sqq. Sed ita se excusat coma:

ego non ulla vera timore tegam,

sive non dissimulabo,

Nec si me infestis discerpent sidera dictis,

i. e. nec tegam, si et q. s. Nam illud ‚nec’ non adhibetur hic cum notione ‚ne .. quidem’, quia is usus a Catulli aetate alienus, est cf. Kühner l. c. II p. 660 sq. Draeger l. c. II² p. 71 sqq. Quae adduntur, ut eius professionis vis augeatur.

Iam vero perspicuum fit membrum secundarium insequens, quod est in v. 74, ad prius illud ‚non ullo vera timore tegam’ referendum esse; quod fieri non potest nisi reposita coniunctione *quom* pro eo, quod erat in codice V, ‚qui’ et ‚quin’ (nam *M praebet* ‚q al quin’ cf. *Hermes* 1888 p. 573):

Namque ego non ullo vera timore tegam,
Nec si me infestis discerpent sidera dictis,
Condita quom verei pectoris evoluam,

i. e. quom quae ‚condita’ sive inclusa pectore hucusque fuerunt — aliter haec verba Baehrens interpretatus est —, ut sum veri amans, promam sive *evoluam.* Per se quidem ‚evolvo’, quod Baehrens quoque comprobavit pro codicis *V* scriptura ‚evolve’, bonum est, sed propter consilium indicatum, quo libere se loqui velle coma fatetur, futurum tempus praestat. Sed enim ‚non tegam’ non idem est atque ‚non impedio’, unde ‚quin’, quod Lachmann coniecit, plerumque pendere volunt; iam si ‚quin’ scripsisset poeta, ea coniunctio, quae est vera eius notio, prorsus aliam et a ‚vero pectore’ diversam condicionem pectoris abnueret. Sed ea pectoris veritas unice urguetur et cogitatur, nihilque contrarii subest. Et est id — ut supra p. 76—78 iam intelleximus — proprium tantum coniunctionis ‚quom’, non inest ea notio in coniunctione ‚quin’ aut in pronomine ‚quae’, quod Baehrens suasit.

Habent duo ea enuntiata eandem perfecti temporis formam in eiusdem carminis versu 45, ubi bis exstat ‚cum’ in hoc loco, quem secundum Schwabei editionem propono:

Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris
Progenies Thiae clara supervehitur,
Cum Medi peperere novum mare, cumque iuventus
Per medium classi barbara navit Athon.

Neminem ‚ferro parem’ esse sive resistere posse coma Berenices invita fatetur in v. 42:

Sed quis se ferro postulet esse parem?

— ‚qui’ enim, quod codices praebent, quid sibi hic velit equidem non dispicio; ‚quis’ cum Statio quivis prudens, qui quidem non quaerit falsa orationis artificia, reponet; porro comam per ‚quoque’

exemplum afferre montis maximi, qui non minus ferri violentiae cesserit, sicut ipsa cessit cf. v. 39:

Invita, o regina, tuo de vertice cessi,

id sequentis versus 47 conexus indicat, in quo eius exempli ratione habita denuo illa sententia sic affirmatur:

Quid facient crines, cum ferro talia cedant?

Iam si tradita lectio ‚eversus’ manet, comparatio illa quam poeta voluit non effingitur, quia nec ‚ferro’ montem eversum esse ipsis verbis omnino dicitur nec illud ipsum vocabulum quid rebus comparatis commune sit arguit. Nam ‚evertere’ et hic et ubique — etiam in exemplo Baehrensiano Val. Flacc. VII 75 *everso campo* — semper significat ‚summa ad imum vertere’, sive de eminenti monte sive de campi plana superficie. Neque vero opus est Baehrensii refutare coniecturam ‚quone (= quippe quo ferro) ille eversus mons est’ cf. p. 468. Quam desiderat notionem sententiae acumen, ea recuperatur hac lenissima emendatione:

Ille quoque e v i c t u s *mons est,*

quod vocabulum ‚evincere’ respondens notioni cedendi in v. 39. 47 adhibitae proprie usurpatur de impedimentis vel periculis per vim aliquam vel audaciam superatis, velut in Aeneid. II 496 sq.:

. . aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exit oppositasque evicit gurgite moles.

Unde simul firmari mihi videtur *rupere* ab Italis inventum, a Baehrensio p. 469 optime commendatum in v. 45; ‚propere’ erat in codice V. Praeterea ‚evincere’ adhibetur de somnis, nubibus, freto Siculo, scopulo navigantibus periculoso cf. Ovid. met. I 685. XIV 769. XIV 76. XV 706.

Neque vero ‚in oris’, pro quo Itali ‚in orbe’ reposuerunt, per se quidem de orbe terrarum dici potest; id enim vocabulum habet semper notionem terrae vel longinquae et remotae vel porrectae. Scribendum est *in auris,* cf. Ovid. met. II 154

Solis equi . . . hinnitibus auras
Flammiferis inplent.

Ceterum de ‚ora’ et ‚aura’ saepius permutatis cf. Lachmann ad Lucr. p. 167 sq. — Praeterea *Thiae* recte restitutum esse, sed coniectura ‚Phthiae’ sententiam corrumpi contra Ellisium monuit H. Magnus

Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 1878 S. 504; adde Baehrensii comment. p. 468 sq.

Id autem temporis praeteriti genus cum a grammaticis nostratibus tum ab Em. Hoffmanno in libro de coniunctionibus temporalibus scripto vulgo nomine 'perfecti praesentis' sive 'logici' appellatur idemque rursus saepius vocant 'perfectum aoristum sive historicum'. Sed in hac tota artis grammaticae parte interpretanda tam vanis artificiis argutiisque scholastici utuntur, ut ipsi quidem ea parum intellexerint, quae alios docere student. Ceterum verius et simplicius illud temporis genus appellari debere e slavicae grammaticae doctrina 'momentaneam actionem temporis praeteriti' nunc leviter significasse satis habeo. Quae Draeger de temporum vi exposuit, ea omnia plus minusve laborant iisdem profusae expositionis incommodis, quibus multi eius operis loci corrumpuntur. Nam ad altiores vel imas legum grammaticarum causas cognoscendas saepe non penetravit, viresque eius vix dimidia cursus parte confecta deficiunt acquiescuntque plerumque in vilibus regulis assequendis. Melius haec omnia de perfecti temporis quod dicitur notionibus exposuit Kühner l. c. II p. 94 sqq., sed is quoque plura parum acriter discrevit.

Adde ad hoc talium per 'cum' inter se iunctorum enuntiatorum genus c. LXVI 21 sqq., de quo loco infra p. 158 sq. dicetur.

Componuntur etiam diversorum temporum formae, sed quae pertinent ad eiusdem sive naturae sive spatii actiones inter se coniunctas. Quod fit compluribus locis. Ut in c. LXXXVI 5 sq.:

Lesbia formosa est, quae cum pulcerrima tota est,
Tum omnibus una omnis subripuit Veneres.

Ubi, ut ea quae B. Schmidt in proleg. p. VIII de Lesbia composuit commemorem, haec evadit sententia Lesbiam non solum formosam esse corporisque virtutibus excellentem, quae in aliis quoque puellis cernantur, sed totam pulcherrimam, quia leporis quoque facetiarumque venustatem habeat. Adde c. V 5 sq.:

Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

c. LXII 46. 57 cf. quae supra disputata sunt p. 77; c. LXVIII 121 sqq., c. LXXXIV 3 sq.:

Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Cum quantum poterat dixerat hinsidias.

ubi notari debet illud ‚tum', sicut in LXXXVI 5, non ad tempus pertinere, sed ad ipsius actionis statum et idem esse, quod est ‚ea re', ‚ea actione'; demonstrat enim ‚tum' semper eam notionem, in quam alterius actionis coniunctae notio ut cum altera congruentis eamque efficientis ipsa simul incidit.

Accedunt alii loci, in quibus ea temporum aequalitas paululum variata apparet vel deflexa, sed eadem re vera est ratio, quae illis locis modo nominatis obtinet. Verba, quae Aegeus ad Thesea proficiscentem derigit in c. LXIV 236 sq., sic apud Schwabeum exstant:

Quam primum cernens ut laeta gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem aetas prospera sistet.

In his ‚aetas' nullo modo recte intellegi potest. Iam quamquam recte Baehrens dicit in commentario de hoc loco: ‚quomodo terrae patriae eum reponere possit aetas, obscurum est', ea tamen opinio qua ductus haec addit: ‚nec coit cum tali circumscripto spatio longiore vox *prospera,* quae in solum reditus diem quadrat', virum doctum de via abduxit. Quoniam ‚reducem sistere' idem esse quod est ‚incolumem reducere' loci a Baehrensio allati arguunt, illius prioris membri sententia declaratur definiturque et tempore et re enuntiato secundario per ‚cum' conexo. Quod vero codices G et D non plane dimiserunt memoriam lectionis *sistent* in codice V quondam servatae cf. quae supra p. 56 sq. dicta sunt, id movet me ut lenissima medela adhibita scribendum esse censeam hunc versum sic:

. . ., *cum te reducem acta prospera sistent.*

Catullus autem frequentius quam bonis poetis placuit breves vocales finales insequentibus consonis binis produxit, quam licentiam apud Romanos rarissimam tamen non in arsi tantum sed etiam in thesi atque etiam collocatis in initio verbi muta et liquida adhiberi auctor est L. Müller de r. m. p. 319 sq. Iam si inter exempla Catulliana hucusque reperta nullum habet in thesi productam finalem ante mutam cum liquida cf. l. c. p. 320, praef. Cat. p. LXXVIII, tamen quoniam ea licentia a thesi

non prohibetur, nihil impedit quin tale hoc loco fuisse statuamus.

Nam hac lectionis corruptae medela uti cogi videmur. Quid? nonne vocabuli ‚acta' i. e. ‚ripa casus aliquis hic locum habere potest? Sed primum si quis reponere velit:

. ., cum te reducem actae prospera sistent,

dativus unde pendere possit, nescio, quoniam sicut ‚redux in patriam' et similia dicuntur, vel ‚in actam' vel ‚in acta' exspectamus. Nam versum Homericum de Achille ita convertit Cicero de divin. I 25, 52:

tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.

Accedit quod de ripa hic cogitari non potest, quia priusquam navis portum ingressa sit, rex monet ut candida vela tollantur cf. v. 233 sqq.:

Ut simul ac nostros invisent lumina collis,
Funestam antennae deponant undique vestem
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,

quos subsequuntur statim duo illi versus, quos nunc tractamus. — Iam ‚acta prospera' i. e. res feliciter gestae item dicuntur, ut Ovid. met. IX 247 *immanibus actis* de Hercule, trist. II 335 *immania Caesaris acta,* I 2, 97 *acta mortalia,* Quintil. X 1, 56 *quid? Herculis acta non bene Pisandros?*

Coniunctivo autem praesentis ‚agnoscam' nihil immutatur temporum in uno et in altero enuntiato aequabilitas, quoniam is proximus est futuro tempori.

Pertinent ad eandem duarum actionum condicionem per ‚cum' iunctarum c. V 12 sq., ubi cum Büchelero *Rhein. Mus.* XVIII p. 401 collato carmine Priapeo LII 12 propter hanc ipsam rationem grammaticam scribendum est:

nequis malus invidere possit,
Cum tantum sciet esse basiorum.

Modus enim coniunctivus ‚sciat' per causae rationem explicari non potest, quoniam causa extrinsecus adscita hic nulla est, sed ipsa actionum condicio et natura causam illam, quam omnino non intellectam plerumque ut eius coniunctivi propriam grammatici interpretantur, ultro infert. Sed ipsa ‚causae' quae perhibetur notione deposci, ut coniunctio ‚cum' coniunctivum habeat, omnino

vana est fabula ex iis, quae de huius coniunctionis vi et usu vulgantur.

Similiter, sed tamen paulo aliter ea aequalitas actionum deflectitur ad praesentis temporis coniunctivum dubitativum in enuntiato primario positum, quocum confertur in altero enuntiato item temporis aut praesentis aut momentanea praeteriti notio in his duobus locis c. XXX 5 sq. et LXXVI 9 sq. Atque ille iam rectissime restitutus est per Munroum, qui membris coniunctis, quae falso separabantur, hac emendatione (quam ipse quoque in veneram) vitiosam lectionem codicis V ‚quae' correxit:

Quom tu neglegis ac me miserum deseris in malis,
Eheu quid faciant, dic, homines cuive habeant fidem?

Cuius loci interpretationem satis idoneam Baehrensi commentar. p. 190 praebet. Adnotaverim hoc unum, illud *quom* per vim suam relativam ad statum superioribus versibus 3 et 4 significatum referri. Idem igitur sic dixeris: quom tu me .. deseris .., ut *non dubitas fallere,* nemini fidem habendam esse ostendis. Aspernatur id Munroi inventum iniuria R. Richter in progr. Lips. gymnasii regii 1881 p. 5*; opinatur offensionem habere grammaticam coniuncta haec ‚quom tu neglegis .. quid faciant', potius sermonis usu postulari ‚si neglegis'. Cur id postuletur, non dicit et equidem nescio. Sed vituperat eum coniunctionis ‚quom' usum, qui plerumque ignoratur. Hac interpretatione simul irrita fiunt tentamina H. Blümneri *N. Jahrb.* 131 p. 879—881, qui totum carmen in systemata ternorum versuum partitur (cf. supra p. 91.) et versus 4 et 5 inverso ordine post v. 10 collocandos esse censet.

Alter autem locus pulchri istius carminis, cuius de mira veritate B. Schmidt in proleg. p. XII. LXXIX bene iudicavit, sic mihi videtur corrigendus:

Omnia quom ingratae perierunt credita menti,
Quare cur tu te iam amplius excrucies?

‚tu' felicissime inseruit Fr. Schöll *Neue Jahrb.* 121 p. 484, 22. Hiatum enim hunc in caesura pentametri tolerari posse Sydow de recensendis Catulli carminibus diss. Berolin. 1881 p. 68 sq. demonstrare non potuit. Quod traditur ‚omniaque', id mutari vo-

luerunt quidam cum Italis in ‚omnia quae'. Sed sive scribitur ‚-que' sive ‚quae', utrobique hoc enuntiatum ut novum aliquod iudicium de iis rebus praedicatur, de quibus iam idem in versu 6 praedicatum est:

Ex hoc ingrato . . . amore . . .

Unde illa ‚omniaque . .' sive ‚omnia quae . .' si ita adduntur languent. Immo plenam et absolutam sententiam versus 7 et 8 conficiunt:

Nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt
Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt.

Quamquam eadem inversa collocatio ‚omnia quae' apud Catullum in c. LXIV 66 redit. Sed reliqui loci, quos Baehrens comparavit p. 72 cf. proleg. p. 18, diversa sunt ratione. Plautus quidem in Mostell. 250 et 623 habet ‚mulier quae' et ‚genus quod'.

Iam vero, quia ‚perierunt' effert opinionem nondum ita diserte significatam, ut melius et aptius sententia vinciatur, certe praestat versus 9 et 10 artius inter se coniungere, a prioribus plena distinctione separatos et ipsos commate tantum distinctos ita scribendo ut supra proposui, i. e. inde quod, ut antea significatum est in v. 7 sq., ingratae menti dicta et facta illa credita perierunt, nulla est iam causa cur tu te amplius excrucies.

Restat unus eius constructionis locus, in quo participium actionis perfectae addita praesentis temporis re praedicata cum altero praesentis verbo coniugatur in c. XXXI 8 sqq.:

O quid solutis est beatius curis,
8 *Cum mens onus reponit, ac peregrino*
Labore fessi venimus larem ad nostrum
Desideratoque acquiescimus lecto.

Quae praedicantur in v. 7, eadem sunt et tempore et re atque illud, quod per ‚cum' infertur. Et recte Baehrens animadvertit inter se opposita esse ‚peregrino' et ‚nostrum' i. e. proprium; sed quod ipse offendit in ‚peregrino labore', quia id notioni ‚larem' aut parum respondeat aut nihil, ea opinio ita corrigenda videtur, ut potius inter se respondeat ‚peregrino labore' i. e. labore in peregrinis terris suscepto et ‚desideratoque acquiescimus lecto'. Huc enim tendit illud ‚venimus larem ad nostrum', quae

actio paratactice collocatur, sed notione sua ac vi hypotactice per illud '-que' ultimae quae inde demum efficitur actioni subiungitur. Non igitur aliquid intercidisse cum Baehrensio suspicari licet.

Locos quos hic tractavi ex ordine temporum inter se coniunctorum composui, non quia haec temporum aequabilitas fons et origo eius constructionis mihi esse videretur, sed ne recederem in praesentia a tralaticia quadam grammaticorum doctrina in generibus eius usus distribuendis. At mihi ipsi contraria ratio certa est et explorata, aequabilitatem illam temporalem ea coniunctionis 'quom' vi nativa ultro effici, non ipsam eius vim illa effici, quod visum est auctori eius doctrinae gravissimo Em. Hoffmanno. Quamquam non necessaria est omnino per omnem eius notionis varietatem temporum aequabilitas nec ubique servatur, tamen e natura ac ratione eius relationis, qua per 'cum' duo membra inter se coniunguntur, est consequens. Res igitur sic potius se habet, ut hac iunctura aequabilitas temporum efficiatur, non ut haec illam efficiat. Omninoque quam non intellegantur vulgo enuntiata binaria per 'quom' copulata, ostendunt ea quae A. Reeck *Beiträge zur Syntax des Catull. Jahresber. des Realgymn. zu Bromberg* 1889 p. 10—12. 14 disseruit. Secutus est Draegeri distinctiones et interpretationes, quibus vera rationis grammaticae cognitio magis obscuratur quam illustratur. Sed ea omnia hoc loco persequi non opportunum est.

Catullianis accedant Tibulliana quaedam. Eximendi enim sunt ex indice locorum coniunctioni 'cum' subiectorum, qui est in Ed. Hilleri mundissima recognitione, hi duo I 2, 76 et II 5, 110.

Atque in illo loco versus 70—74 recte ab Hillero distinctos sequuntur hi versus (75. 76):

Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?

ubi *fletu* nihil aliud nisi vel ablativus causae esse potest, per quam illud *vigilanda* efficiatur vel ablativus modi, qui dicitur. Aliae eius casus notiones hic excogitari non possunt. Sed sive illo sensu acceperis sive hoc, per utrumque languent versus sequentes 77. 78:

Nam neque tum plumae nec stragula picta soporem
Nec sonitus placidae ducere posset aquae,

ut iure suo eos R. Richter damnaverit, quia idem bis dicitur. At Tibulli quidem ea est singularis virtus, ut variorum affectuum imaginem semper singulis lineamentis loco suo additis sensim expleat neque umquam per saltum aliquem res medias sive intercedentes transeat aut duas actiones notionesve quasi confusis coloribus pictas repraesentet. Iam si hic statim diceret, noctem propter fletum vigilandam esse, duas actiones, quarum altera condicione sua alteram excipit, uno dicto vel enuntiato permisceret et superflua essent sequentia. Immo ita dicere debebat, inde ex ea solitudine et inopia amoris secundi fletum nasci, unde etiam noctem futuram esse insomnem vel in Tyrio toro. Hunc esse nexum sententia quae per *nam* adiungitur manifestat, sed ut is nexus cognoscatur, hoc modo versus 75 et 76 distinguendi sunt:

Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest? cum fletu nox vigilanda venit.

‚Cum' praepositionis loco habetur, non coniunctionis: venire igitur dicitur nox *cum fletu,* quam mox *vigilandam* fieri additur.

Alter locus II 5, 110 utpote corruptus iam varie coniecturis tentatus est ab Italis, ut a recentioribus:

107 *Ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,*
Heu heu quam multis ars dedit illa malum!
Et mihi praecipue: iaceo cum saucius annum
110 *Et faveo morbo, cum iuvat ipse dolor,*
Usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
Verba potest iustos aut reperire pedes.

Apparet autem ‚cum iuvat' nullo modo tolerari posse; nam etiamsi ‚iuvat' carere posset sua re obiecta, quoniam e praecedenti voce ‚morbo' eam supplere liceret, tamen ‚cum' omnino nullam praebet notionem. Contra Amoris quidem tela dicit poeta artem suam poeticam nihil valere, immo hac ipsa illorum telorum vim in multis augeri et ali — nam notio ‚mali' in versu 108 commemorata, quod ars poetica iam et multis et sibi ipsi dederit, praevalens est et sequentibus quoque tenetur. Priore autem loco positum illud ‚cum' (‚cum iaceo') eiusdem est notionis, de qua

supra p. 76 sq. 128 sqq. expositum est; nam poeta dicit hac ipsa re, quod saucius sit semperque morbo sive aegritudini faveat, fieri ut Nemesim canat, sine qua omnino canere non possit. Ergo prius membrum non concessivam rationem habet neque in altero ‚tamen' cogitari debet. ‚Temporalis' autem eius coniunctionis vis, quam vulgo intellegunt, hic nulla esse potest.

Atque in hoc membro:

morbo, cum iuvat ipse dolor

ea coniunctio nec illam vim habet nec hanc ‚temporalem'; illa quidem hic non exstat, quia secundum eam coniunctionis ‚cum' notionem semper totum enuntiatum, non aliqua tantum pars eius sive nomen sive verbum et quae utrique adhaerescunt, cum toto altero confertur. Haec est eius usus lex et ratio constans. Hic vero non ‚faveo morbo' explicatur per alterum illud ‚iuvat ipse dolor'. Potestne tum ‚me' deesse? Potius ea mihi sententia videtur proposita, ut ‚ipse dolor' morbum iuvet, non ea ut ipse dolor faventem morbo iuvet. Nam ita languet ‚favendi' notio et vi sua caret. — Altera autem coniunctionis ‚cum temporalis' notio item huic loco contraria est, quia ‚dolor' i. e. amoris dolor causa est morbi et materia, ‚temporalis' autem, quae putatur, notio a tali nexu adhorret.

Sed sicut illud ‚cum', quod ad congruentiam pertinet, semper ipsas actiones earumque res attributas inter se confert, item pronomen relativum — unde illa ipsa particula derivata est — cum vi relativa ponitur ita tantum, ut de nomine aliquo, ad quod pertineat, rem addat praedicatam. Nominis quidem ipsius vices, ne id hic neglegere videar, tenere potest totum quoque enuntiatum, de quo aliquid praedicetur pronomine relativo adnexo, non, ut est in coniunctione ‚cum', per collationem duo inter se referantur enuntiata. Ergo cum hoc loco morbus ipso dolore iuvari dicatur, scribendum est

morbo, quem iuvat ipse dolor,

quo vocabulo subiuncto et morbus ille declaratur et verbum ‚iuvat' casum suum recuperat. De sententia cf. Propert. III (IV) 21, 4:

Ipse alimenta sibi maxima praebet amor.

II. Carminis IX, quo Catullus Veranium amicum ex Hispania reducem consalutat, versus primi quinque in Schwabei editione sic praebentur:

Verani, omnibus e meis amicis
Antistans mihi milibus trecentis,
Venistine domum ad tuos penates
Fratresque unanimos anumque matrem?
Venisti. o mihi nuntii beati!

Habet *G* in versu 1 ‚e', *O* omisit. Sed illud ‚e' neque cum sequenti versu conciliari neque per leges sermonis stare potest. Ac primum quidem ex omnibus suis amicis Catullus Veranium sibi i. e. e suo iudicio et voluntate antistare milibus trecentis dicere non potest. Quis enim, ut de ipsius sententiae importunitate nihil commemorem, tantum ut magnum amicorum numerum significet tam inepte vel tumide eam locutionem adhibere velit ad amicum alloquendum. Tum vero ne ex omnibus quidem amicis antistans esse potest Veranius, quia antistandi verbum cum praepositione ‚e' non construitur, quod Baehrens recte monuit in comm. p. 112, neque omnino propter praefixum ‚ante' construi potest. Riesei igitur, qui huic uni loco eam constructionem nimis liberaliter concessit, alterum quoque remedium vel propter hanc ipsam legem irritum esse debet. Nam si ‚milia trecenta' nominantur, certe cuius rei copia significetur sciri debet nec habere potest id vocabulum plenam et iustam notionem nisi addito vel suppleto genetivo. Negat id Riese, cum ‚milia' per se suam vim habere contendit, non negavit Pfeiffer, cum in symbol. Catull. p. 51 de milibus trecentis passuum hic interpretatus est. Nam quod ille ad eum usum comprobandum affert Catulli c. XXXXVIII 3 *usque ad milia basiem trecenta,* ibi e verbo basiandi facile et sine ulla legentium dubitatione ‚basiorum' suppleri patet. Quomodo idem comprobetur loco Horatiano in sat. II 3, 116 nemo intelleget. Ergo in versu illo Catulli nihil aliud nisi ‚amicorum' suppleri potest.

Iam Baehrens maxime quia *O* illud ‚e' omisisset, quoniam interiectio in libris non raro omitteretur, scribendum esse putavit ‚omnibus o meis amicis antistans'. Sed sic oppositio quaedam

nascitur inter prius illud membrum et insequens ‚mihi milibus trecentis', cui repugnat ‚meis', quod iam in illo membro insertum est. Nempe vis quae eiusdem personae pronomini ‚mihi' insequenti a poeta ipso tribuitur, in illa coniectura notione sua caret. Sed quod ‚e' in *O* omissum est, facile librarius metrorum sive neglegens sive ignarus illud ‚e' interpretationis vel glossae loco adscriptum esse ratus omisit, ut exemplis demonstravit K. P. Schulze in Herma 1888 p. 579.

Quoniam ‚meis' nullo modo orationis conexui accommodari posse apparet, tollenda est omnino ea notio ex hoc loco, quod fit hac lenissima medela:

Verani, omnibus eminens amicis,
Antistans mihi milibus trecentis,
Venistine . .

Nam ‚eminere' construi licet cum ablativo cf. Kühner l. c. II p. 267, ubi affertur Lucan. II 266 sq. *(ut) nullae tamen aequore rupes emineant.* Corruptum autem fuit id vocabulum compendio scripturae, tum distractis syllabis ‚e mīēſ', nam litterae ‚i' et ‚e' saepissime inter se mutatae sunt. Veranium igitur primum dicit Catullus eminentem omnibus amicis, qui quidem ita vocantur, tum eum qui sibi quidem pluris sit quam si trecenta milia amicorum haberet.

In versu 5

Venisti. o mihi nunctii beati

illud ‚o' cum genetivo exclamationis construi M. Haupt excogitavit, probavit postea Lachmann ad Lucr. p. 326, stabilire conatus est Bücheler graeco usu comparato *ὢ τοῦ εὐαγγελίου.* Sed quod recte edixit O. Riemann *syntaxe Latine* 1886 § 61 p. 99 le *génitif exclamatif, si commun en grec pour marquer la cause de tel ou tel mouvement de l'âme qui se traduit par une interjection* (*φεῦ, τοῦ ἀνδρός*), *par une apostrophe aux Dieux* (*ὢ Πόσειδον, δεινῶν λόγων*), *etc., ne se rencontre pour ainsi dire pas en latin,* id in Catullum poetam vere Romanum imprimis cadit. Paucissimos eos locos, quibus is genetivus exclamationis exstat, habes apud Lorenzium ad Plauti Most. v. 912 cf. Kühner l. c. II p. 305. Semel tantum apud Lucanum II 45 *o miserae sortis* ‚o' cum eo

genetivo iungitur. Sed ea structura graecanica a Catulli dictione omnino alienissima iudicari debet. Nam accusativum ‚graecum' quem vocant a Catullo et Tibullo adhibitum vere latinum esse nunc tantum moneo. Quamquam id loquendi genus Graecorum imitatione vehementer auctum et variatum esse ab aliis concedo. Item iudicasse Schaeflerum in dissertatione sua: *Die sogenannten syntaktischen Graecismen bei den augusteischen Dichtern. München* 1884 sero cognovi ex Hoerlei dissert. Hal. 1887 ed. p. 24.

Praeterea ‚o' in exclamatione semper a Catullo cum accusativo coniungitur cf. Baehrensii comment. ad III 16 p. 85. Hac igitur ratione coacti, deinde quia numerus pluralis ‚nuntii beati' de uno nuntio dictus videretur, Baehrens et Riese confugerunt ad illam genetivi interpretationem, quam improbandam esse diximus.

Sed his interpretationis necessitatibus oratio liberatur hoc modo distincta:

Venisti o mihi, nuntii beati!

Est igitur ‚o' gaudii exclamatio, ut item ‚o' adhibetur XXI 7:

O quid solutis est beatius curis

cf. Ovid. met. II 424 *sunt o sunt iurgia tanti*, ubi non gaudentis est ea exclamatio, sed despicientis. Quae apud Catullum aptissime item inseritur inter verbum et dativum illum, qui affectum ex actione alicui excitatum significat. Nec pluralis sua notione caret, nam ‚nuntii' venerunt ad fratres anumque matrem et ad ipsum Catullum.

III. Hymni in Dianam facti c. XXXIV v. 15 et 16 hi sunt:

Tu potens Trivia et notho 's
Dicta lumine Luna.

Verissime vocabulum ‚dicta' primus Baehrens corruptum esse suspicatus est. ‚Neque enim satis congrua videntur haece „notho lumine Luna es dicta", siquidem Diana Luna audit utpote lucens, non ab lumine spurio; in quam notionem cum omnis vis cadat, laus tota evanescit peritque'. Sed quod ipse reponere vult ‚clara', id non efficit hanc oppositionem, quam recte quaerit: ‚quamquam ignem a fratre es mutuata, late lucens nocte es sidus'. Neque vero dubitat Catullus Lunae lumen ‚nothum' vocare — cuius vocabuli de notione cf. Baehr. comm. —, quod idem pro certa re

proponit Cicero de n. d. I 31, 87: ‚eiusdem (= solis) incensa radiis .. luna'. Ergo ut et natura et dignitas Lunae simul emineat, vera mihi videtur haec lectio:

Tu potens Trivia et notho 's
Diva lumine Luna.

Est ablativus qualitatis. Similiter Goethe Lunam ut a Sole secundam appellat *Schwester von dem ersten Licht;* itemque illud epitheton Catullianum quod reponimus addidit Ovidius in trist. I 5, 75 sq.:

Me deus oppressit nullo mala nostra levante:
Bellatrix illi (= Ulixi) *diva ferebat opem,*

ut voce ‚bellatrix' a profano usu remota Minerva significaretur.

IV. Carminis tenerrimi XLV versus 8 et 9, 17 et 18 desperatos fere facillima emendatione restituisse mihi videor. In codice V sic legebantur illi:

Hoc ut dixit Amor sinistra ut ante
Dextra sternuit approbatione

hi autem sic:

Hoc ut dixit Amor sinistravit ante
Dextram sternuit approbationem.

Pertinent igitur ad sternutamenti omen, quod ab utra parte accidisset a dextra an a sinistra omnino nihil referre contendit nuper H. Magnus *philol. Wochenschr.* 1883 no. 14. At primum si Cicero de div. II 40, 84 dicit ‚nobis sternumenta erunt observanda', ubi paullo ante II 39, 82 haec habet ‚nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora', quivis certe concedet, hanc opinionem etiam in proximo loco servatam intellegi. Ac certum est in quibusdam locis, velut in Odyss. ϱ 545 partem unde in gynaeceo auditum sit sternumentum non discerni, quia id a recta regione accidit in anteriore virorum aula. Porro si apud Vergilium in Aen. VII 141 sq. ‚hic pater omnipotens ter caelo clarus ab alto intonuit' itemque VIII 523 sqq. ter intonuit a caelo sereno, vel id per serenitatem caeli factum pro bono omine acceptum est. Idemque aliis de causis alibi factum esse consentaneum est. Atque in hac re regionem quoque caeli observatam esse, unde accidisset, Magnus ipse allatis locis e Verg. Aen. II 692 sq. IX 630 sq.

affirmavit. Sed quocunque modo interpretamur Catulli verba ‚sinister' et ‚dexter', hoc certe constat ex ipso horum usu alteram utram partem hic significari fausti ominis causa. Inde apparet a dextra parte ut ab infausta Romanis non sternuisse Amorem.

Iam docet v. 17, ut recte adnotavit B. Schmidt p. CXVII, ‚Amorem Septumio suos erga puellam sensus declarante a sinistra parte adnuisse'. Sed quod hinc efficere vir doctus voluit, vocabulum ‚dextra' v. 9 sanum non esse, id ita verum esse ut ibi scribendum sit ‚dextram approbationem' cum Baehrensio consentio. Nam Acmes et Septumii sermones tam accurate et versuum numero et orationis aequabilitate inter se respondent, ut clausula utriusque sermonis vel eadem vel simillima esse debeat. Sed suspicabatur B. Schmidt l. c. deum, quod primum ‚sinistra' a parte, deinde a ‚dextra' h. e. utrimque approbationem sternuerit, faustissimum mutui amoris omen agnoscere. At si utrique, et Acmae et Septumio, idem omen acciderit ab eadem parte, id non solum congruens est actionis et sermonis aequabilitati, sed etiam Romanorum de fausta regione opinioni. — Iam vero ‚dextram approbationem' hac quoque de causa maxime se commendat, quod ominis vis accusativo casu apte et genuine significatur cf. Baehrensii comment.

Sed quoniam ‚ut ante' in v. 8 neque habet, quo referatur — unde mirabilia sibi finxit C. P. Schulze in diss. inaug. de Catullo Graecorum imitatore Jenae 1871 ed. p. 23 et *Neue Jahrb.* 129. 1884. p. 182 sq. de amore Acmes et Septumii usque ad id tempus infausto — neque per latinitatem licere recte Baehrens animadvertit, inde haec vocabula vitiosa esse B. Schmidt conclusit. At qui scripturam utroque loco traditam consideraverit, hoc indicio commotus illud quoque suo iure suspicari potest, vocabulum ‚ut' sedem esse corruptionis, quia ‚ante' hic et illic a codicibus retinetur. Retinuisse igitur hac de causa videtur Baehrens, cum coniecit ‚sinistra et ante' i. e. a sinistra parte et posteriore et anteriore. Sed hoc vocabulo ‚ante' nullo modo legentes coguntur, id quod ille voluit, item sinistram partem intellegere omninoque si verum esset inscitiae in eloquendo admissae damnaretur Catullus.

‚Est autem dominus ille — inquit Baehrens — cuius unius

imperio Septumium seque semper vult esse subditos Acme, ipse Amor, in cuius statuam forte astantem loquens illud „huic“ digitum ea videtur intendisse.’ Mihi ipsi haec interpretatio non solum certa videtur, sed etiam ea, qua una verbis (v. 14):

Huic uni domino usque serviamus

sua vis reddatur. Poscunt enim haec, ut amantes Amorem ante se oculis adspexisse putemus. Adest igitur simulacrum aliquod Amoris, qui vel sternuisse fingitur vel sternuens repraesentatur. Sternuentem autem Amorem Alexandrini poetae norant, ut indicant loci e Theocrito et e Propertio a Rieseo allati.

Hinc ut eius simulacri locus significetur et ut pares sint alteri alteris versibus sic utrobique scribendum esse suspicor:

Hoc ut dixit, Amor sinistro ab ante
Dextram sternuit approbationem.

Nonius enim p. 30 M. haec praebet: ‚antes sunt quadraturae; unde et antae dictae sunt quadrae columnae’, cum affert Vergil. Georg. II 417:

Iam canit effectos extremus vinitor antes

cui versui in Servianis scholiis haec apponuntur: ‚et „antes“ alii extremos vinearum ordines accipiunt, alii macerias, quibus vineta cluduntur’, deinde etymologia proponitur, postremo haec adiunguntur ‚*et aliter: Cato de re militari pedites quattuor agminibus, equites duobus antibus ducas* [p. 81, 16 Jordan]. *sunt autem extremae quadrarum partes.*’ (Thilo p. 257, 16—258, 2). Paulus Festi haec habet p. 16, 15: ‚antes sunt extremi ordines vinearum. Unde etiam nomen trahunt antae, quae sunt latera ostiorum.’ Adde ‚Antes στιχοι αμπελων’ Corp. gloss. II p. 18, 29 et ‚Στιχοι αμπελων antes’ l. c. p. 438, 6. Sed versus Vergiliani eiusdem libri 275 sqq. ostendunt vites satas fuisse ‚ut saepe ingenti bello cum longa cohortes explicuit legio, et campo stetit agmen aperto’ (v. 279 sq.) i. e. in quincuncem, quod Varronis aetate usitatum fuisse ea quae rerum rust. I 7, 2—4 docentur arguunt. Porro structura versus 417 ea est, ut vinitor ubi ad finem devenit (= ‚extremus’) canendo indicare dicatur effectos esse omnes antes. Nam est accusativus ex eo genere, quod ‚interni obiecti’ vocatur. Sed qui eius accusativi naturam non intellexerunt, ‚antes’ de extremis tantum vinearum

ordinibus interpretati sunt. Potior hinc eius figurae species ‚quadraturae' nomine, ut est apud Nonium, appellari potuit, si medius eius figurae locus utpote inclusus in appellatione totius figurae omittebatur. Iam si spatia quaedam quadrata parietum circumscripta sunt, quorum in media parte pictura aliqua erat, ea a quincuncis similitudine ‚antes' nominari poterant. Cogitari igitur debet de tali aliquo spatio (= germanice *Feld*), in quo simulacrum Amoris pictum erat.

Id vocabulum postea ut priscum in desuetudinem venisse suspicari licet; neque vero hoc aut aliud eius rei nomen in Blümneri technologia, quam consulebam, invenire potui, ut nescire me fatear, quo nomine Romani, siquidem proprium aliquod adhibebant, tale spatium pictum appellaverint nisi hoc Catulliano.

Quae de pictura Romanorum usque ad Caesaris dictaturam tradita sunt, ea collegit Urlichs *8. Progr. zur Stiftungsfeier des v. Wagnerschen Kunstinstituts. Würzburg* 1876. Is libellus mihi non praesto est; sed de picturis parietum commemoravit Friedländer I^6 p. 481, quarum genera accuratius persecutus est K. Zacher *N. Jahrb.* 121 p. 588 sq. Ac iam Catulli aetate Romae tales parietum picturas fuisse quin id pro comperto habeamus, nos non sinunt dubitare ea quae v. Rhoden in Baumeisteri *Denkm.* p. 878 sq. composuit.

Minus autem placet cogitare de Amoris statua in ianuae altera ‚anta' posita, de quo vocabulo vide ea, quae F. Leo *Hermes* 1883 p. 583 sq. disseruit.

Nunc ab auspicio bono profecti
Mutuis animis amant amantur.

‚Nunc' igitur, quod nonnulli per desperatam quandam interpretationem acriter oppositum putabant statui ei, qui ‚ante' fuisset, ad ‚bonum auspicium' referendum est, quod amantium utrique ab eadem parte eodem modo accidit et ‚mutuum' amorem adnuit.

Sed cur Schwabe in recognitione sua omiserit artificiosam huius poematii dispositionem ipsis oculis subicere, equidem non intellego ut in re tam aperta et consulto effecta. Addere hic libet ea quae rectissime cum bono sensu observavit C. P. Schulze in diss. inaug. p. 23, primum hoc carmen ‚ex Graeco fonte fluxisse', id apparere ex arte dispositionis; deinde ‚ex doctis illis formulis',

quae a Libya Indiaque et caesio leone obviam facto vim suam recipiant, concludi posse Alexandrini carminis imitationem.

V. In carminis LXI versibus 21—25 virgo, quod vocabulum ‚non sine causa graviter in finem est reiectum, tam nimirum ad efferendam virginitatem intactam quam ad adnectendam apte comparationem sequentem' (Baehrens), iam sic praedicatur:

Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades deae
Ludicrum sibi rosido
Nutriunt humore.

In versu Pherecrateo hic semel omnino spondeus pro dactylo positus suspicionem movet, qua in licentia nusquam alibi admissa offendit iure B. Schmidt in adn. crit. p. CXVIII. Nam excusationem satis idoneam ea, quae L. Müller de re m. p. 166 Lachmanno praeeunte disputavit, huic licentiae non parant. Versus enim phalaecii longiores sunt, ut ordinis metrici finis proprios referre possit numeros, etiamsi prioris partis numeri exceptionibus admissis velut in c. LV pro dactylo saepius spondeo posito obscurentur cf. de re m. p. 132. Sed quod in illis licet, id in brevioribus pherecrateis eodem pacto concedi non consentaneum videtur, quia in hoc versu numeri propter brevitatem coli ad integram perspicuitatem item restitui non possunt. Sed ea libertas, qua spondeus in basi ponitur, hic quoque tenetur cf. v. 201. 231. cf. Christ *Metrik*[2] p. 523.

Accedit quod ipsa oratio offensionem habet. Nam ‚humore' nec de terrae humore intellegi potest, quia ‚rosido' ita iunctum nullam habet vim, nec de nocturno rore. Quid enim hamadryades cum hoc, quem non efficiunt, commune habent? si ros ramos alit, hamadryades eos nutrire nequeunt.

Sed de hamadryadibus quid significetur dubium esse non potest. Sunt nymphae, ‚quae una cum arboribus nascuntur et intereunt' (Serv. ad Verg. ecl. X 62), et est ea opinio de nymphis in ipsis arboribus viventibus communi cognatarum gentium superstitione longissime pervulgata cf. Roscher *Lexikon* p. 1824 sqq. Ea autem fabula qua ex arbore caesa sanguis nymphae occisae

profluxisse fertur saepe narratur. Idem Ovidius met. VIII 757 sqq. de Deoia quercu per Erysichthonem sceleste succisa ad Alexandrinae poesis exemplum narrat. Cum truncus occisus esset,

762 *Haud aliter fluxit discusso cortice sanguis,*
Quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abrupta cruor e cervice profundi.

Catullum autem ‚hic ignotam quandam fabulam cum Hamadryadibus coniunctam sequi videri' Baehrens non sine iusta causa suspicatus est cf. p. 297. Appellat autem illas nymphas ‚deas', quod etsi unius Nonni testimonio firmatur, qui Dionysiac. XXII 118 ‘Ἀμαδρυάδος δὲ θεαίνης dixit, per nimiam licentiam neglexit B. Schmidt in adn. crit. Is enim metrica licentia, deinde hac ‚dearum' appellatione, praeterea nova comparatione priori addita commotus est, ut de interpolatione cogitaret. Ac de comparationibus conferantnr quae supra p. 126 significata sunt congruentia cum Baehrensii interpretatione. Sed numeri emendantur, si scribatur:

Nutrivere cruore.

Quem ‚rosidum' intellegit poeta ut Hamadryadum proprium; de quo vocabulo cf. Baehr. comment.

Versus 31—35 vulgo ita inter se distinguuntur:

Ac domum dominam voca
Coniugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans.

Hymenaeus monetur, ut ‚dominam' i. e. novam nuptam domum mariti vocet. Sed etsi domina hic nominatur, tamen ea omnia potius ad maritum uxorem ducentem pertinent. Nam ‚cupidam' non convenit dominae, quia haec, ut iam Bonnet apud Rieseum et Baehrens animadverterunt, ingenuo pudore tardari dicitur cf. v. 81. 94. 100. Hinc Baehrens ‚cupidi novam' corrigit, ut ‚coniugis cupidi' ad ‚domum', ‚novam' ad ‚dominam' referatur. Cupidus enim item nominatur coniux in v. 54. Inde cogitur Baehrens sequentia de mente dominae interpretari, quae mariti amore revinciatur, ut uxor viri domum ingressa a libera solutaque vita

cohibeatur et ‚tam firmo vinculo ad novi coniugis domum adligetur quam hedera'.

Sed primum laborat ea interpretatio a sententiae difficultate et conexus asperitate, quae omni careat simplicitate et perspicuitate Catulliana; deinde ita dominae sive uxori hi versus ut propriae iniuria vindicantur, cui post demum inde a versu 86 praecipuus locus tribuitur.

Rectissime igitur Bonnet commate post illud ‚voca' posito coniunxit ‚coniugis cupidam novi mentem', quam ut amore sc. erga maritum revinciat Hymenaeus efficit, sicut tenax hedera arborem implicat. Haec ita interpretanda esse statim apparebit. Tenax igitur hedera hic non ‚se illigat arbori, quacum est coniuncta', ut ait Baehrens, sed ut apud Paulum Festi p. 100 ‚hedera .. omnia .. illigat' brachiis suis; nec minus ‚adsitas vitis implicatarbores' (v. 106 sq.) pampinis. Item ut amor maritae ‚coniugis cupidam novi mentem' revinciat, Hymenaei cura esse debet. Sed in vocabulo ‚domum' non ἀπὸ κοινοῦ supplendum esse e sequentibus vocabulum ‚coniugis' monuisse non inutile sit. Primum enim si domum domina vocanda est, nulla alia omnino domus cogitatur; deinde ‚coniugis' nomen, quo tota oratio tendit, ipsum statim subsequitur.

Duplicem enim notionis vim et rationem certum quoddam admittit genus vocabulorum, quae eam actionem significant, qua mutua duarum rerum condicio efficitur. Ut, cum filia commemoratur, ‚complexus matris' ita potest effectus esse, ut filia matrem complectatus aut ut mater filiam cf. p. 47 sq. Inde saepius ambiguitatis quaedam species ex hac duplicitate nascitur maxime in nominibus, etsi ipse orationis conexus quid rei sit demonstrat. In verbis id quidem, si acriter rem definias, fieri non potest nisi in lectionibus male tentatis vel corruptis. Magnus autem est talium verborum numerus, ut ‚circumdandi' ‚inducendi' ‚obducendi', de quibus accuratius quaerere utile sit. Ut in v. 106 adsitae dicuntur arbores, quas vitis implicat, eodem prorsus modo quo Ovidius in her. V 47 dicit:

Non sic adpositis vincitur vitibus ulmus.

Sed rursus Cato de r. r. 32 ‚vites' ut ‚adserantur' iuxta arbores poscit. Ab utra enim re ad utram in his verbis actio transire dicatur, nimirum id a potiore alterius utrius rei notione pendet.

Sed id significasse satis habeo. Addo in Catulli c. LXVI 51 ‚abductae' non genetivum esse (quod Baehrens putat p. 470), sed nominativum. Id enim praevalet, a quo quid abiunctum est; qua de causa non aliter atque apud Caesarem b. g. VII 56 ‚quod abiuncto (i. e. a se = Caesare) Labieno valde timebat', hic de abiunctis comis sororibus in capite remanentibus cum Rieseo ita intellegendum est, ut ille πλόκαμος in narratione sua se ipse pro potiore comarum parte habeat, a qua reliquae abiunctae sint.

Versu 46 et sequentibus invocato antea Hymenaeo iam celebratur laus eius ita, ut auctoritas et potestas qua valet amplis verbis describatur. Ac secundum codices haec dicit Catullus:

Quis deus magis amatis
Est petendus amantibus?

Et quoniam in hoc loco nec per numeros nec per notionem vocis *amatis* stare potest, decem fere facta sunt tentamina ad versum sensumque recuperandum. Atque acquiescere videntur nunc homines docti vel in Bergkii invento hoc:

Quis deus magis est ama-
tis petendus amantibus?

quod Schwabe reposuit, vel in Hauptiano (op. I p. 16—18)

quis deus magis anxiis
Est petendus amantibus?

quod B. Schmidt comprobavit.

Ac de illa coniectura sane fides habenda est Baehrensio cum dicit p. 301 ‚certam formulam „amare amari" (XLV 20) nemo Romanorum ita deflexit, ut diceret „amati amantes" similiterve.' Sed de altera coniectura M. Hauptii iam G. Hermannus in censura quaestionum Catullianarum (*Jahns Jahrbb.* XXII. 1838. p. 306) dubitavit. Ea enim anxietas, quo in vocabulo non tantum inest cupiditatis, sed semper sollicitudinis cuiusdam notio huic loco non est apta; *denn anxii amantes* — inquit — *könnten doch nur die genannt werden, die entweder die Einwilligung der Eltern zur Ehe nicht zu erhalten, oder das Aufhören der Liebe bei längerer Zögerung, oder sonst ein Hinderniss befürchteten, welches alles auf das so heiter geschilderte Verhältniss des Manlius und seiner Braut keine Anwendung leidet.* Desiderat igitur vir sum-

mus, ut causa aliqua saltem indicetur vel significetur, cur maxime amantes Hymenaeum petant. Itaque non idoneum videtur, nec quod ipse ponit, cum dicit exspectari talem aliquam notionem, qualem habet ‚concordibus' eaque de causa videri ‚aemulis' scribendum esse, nec quod praeterea coniecturarum (v. Baehr. l. c.) excogitatum est. Ego quidem, ut ea causa desiderii disertis verbis sententiae inseratur, scribendum esse puto:

Quis deus magis *i n n u b i s*
Est petendus amantibus?

quae notio sententiam loci explet. Id autem vocabulum, quod totidem litterarum apicibus constat, quot ‚amatis', hucusque ante Ovidium nondum repertum fuit.

In versu 129 huius strophae:

Ne diu taceat procax
Fescennina iocatio,
Nec nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.

‚Audiens' corruptum est, ‚quia non de re tum audienda, sed certa et dudum cognita agitur'. Sed quod Baehrens coniecit ‚a dolens', cum addidit ‚a' ‚egregie ex mente concubini imo animo dolentis adici', id contra a dictionis Catullianae candore abhorret. Nam ‚desertum' appellat concubinus domini amorem nec sine causa illud vocabulum in initio eius membri positum est; hic autem genetivus ‚domini' est subiectivus. Ergo quoniam ‚concubinus' hic nuces spargere dicitur, quia secundum Servii adnotationem ad Vergilii ecl. 8, 30 factam ‚meritorii pueri i. e. catamiti, quibus licenter utebantur antiqui, recedentes a turpi servitio nuces spargebant', scribendum videtur:

Desertum domini *a r g u e n s*
Concubinus amorem.

Nam his ipsis nucibus spargendis arguit i. e. prodit vel demonstrat desertum domini amorem. Est ea structura huius verbi solita, velut Verg. Aen. IV 13 ‚degeneres animos timor arguit', Hor. ep. I 19, 6 ‚laudibus arguitur vini vinosus Homerus', epod. 11, 9 sq. ‚amantem languor et silentium arguit' alia.

VI. In c. LXIII 74 sq. Attis ubi furore animo dempto facinora sua mente recoluit, rursus e nemore ad maris litus fugit ibique questus profudit. Sequuntur hi versus sic fere in V quondam scripti :

Roseis ut hinc labellis sonitus adiit
Geminas deorum ad auris nova nuntia referens.

Ac primum quidem qui Baehrensii argumentationem (p. 354) legerit, ei dubium esse non potest, quin Froehlich recte metrum expleverit scribendo 'sonus editus'; porro 'hinc' — quod plerumque mutatum est — explicatur versibus 47 et 48, ubi Attis ad mare pedes rettulisse dicitur; inde igitur questus eius 'adierunt' ad 'geminas' non 'deorum', sed deae eius aures, ad quam pertinebant cf. L. Müller praef. p. XXV sq. Nam Riese recte 'deae' reposuit, sed hiatus sequentis lacunam explere non potuit. Quoniam igitur dici debet, sonum editum inde tandem pervenisse ad deae Cybeles aures, quae tum ipsa ad mare propere vecta est, deest vocabulum 'iam' post 'deae':

Roseis ut hinc labellis sonus editus adiit
Geminas deae i a m *ad aures nova nuntia referens.*

. . . . . .

VII. Carminis LXVI complures locos, in quibus de interpretatione aut de lectione dubitationes exortae sunt, aut rectius interpretatus esse aut emendasse mihi videor.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit atque obitus,
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro devocet aerio,

et q. s. In versu 4 'ut *cedant* certis *sidera* temporibus' id offensioni fuit, quod quoniam in v. 2 stellarum ortus et obitus iam commemoratus est, in v. 3 solis defectus, hic plane idem de siderum occasu repeti videretur. Idcirco in v. 4 de stellis dici non potest. Sed quia in v. 5 sq. lunae defectus et latebrae notantur, ibi tantum apta est mentio aut solis unius aut solis lu-

naeque. Etsi enim concedendum est de sole usurpari non raro pluralem numerum 'sidera' cf. Baehr. p. 460, tamen praestat id ad maxima illa sidera referre, quorum alterum versu praecedenti (v. 3) alterum sequentibus (v. 5 sq.) significatur, ut a sole ad lunam transitus fiat. Et secernuntur ea ipso nomine 'siderum' a stellis in v. 2 commemoratis, quod nomen maxime soli et lunae aptum esse notum est.

Iam quid sit illud, quod diverse a prioribus et posterioribus de sole lunaque dicatur, verior verbi 'cedendi' interpretatio aperit. Habet enim 'cedere' non continuo eandem notionem quam 'decedere' sive 'abire' et 'occidere'. Erratur saepissime in notione verborum simplicium intellegenda, quae nihil nisi meram actionem denotant simpliciter et ultro factam, non in locum aliquem — vel attactum vel non attactum — derectam. Hoc enim fit in compositis 'abs- de- dis- ex- re-cedere'. Neque perfectivam habent vim verba simplicia i. e. non significant actionis effectum, qui aut reapse accidit aut expetitus est. Hoc fit in 'concedendi' vocabulo cf. p. 31 sq. Verbum igitur 'cedendi' hic notat arcus vel gyros a sole lunaque in caelo confectos, qui accrescunt et decrescunt, ut utrumque sidus 'certis temporibus' varie cedentem cursum efficiat. Sed eam differentiam in lituanica et slavica lingua dudum cognitam et stabilitam item in latino et graeco sermone retineri hic posuisse satis habere nunc debeo.

Berenice pollicita est dis caesariem suam

11 *Qua rex tempestate novo auctus hymenaeo*
Vastatum finis iverat Assyrios.

Sed in versu 11 hiatus de veritate eius lectionis suspicionem movet. Praeterea ipsa eius vocabuli notio non apta est huic loco. Nam etsi poeta eodem vocabulo utitur in c. LXIV 24 sqq.:

. . *vos* (sc. heroas) *carmine compellabo,*
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen Peleu,

id certe de felici coniugio valet; sed in his quae de Berenice dicuntur requiritur proprium aliquod vocabulum, ad novitatem potius coniugii pertinens, quia rex cum 'duxisset uxorem paucis post diebus' (Hygin. astron. II 24) novam nuptam statim dereliquit,

ut ad bellum iret. Sed huic rei non conveniens est ‚auctus’ aut ‚mactus’, quod Baehrens commendavit, aut ‚functus’ quod Pleitner in opusculo sterilis doctrinae pleno *Studien zu Catullus. Dillingen* 1876 p. 46 et Riese in adnot. comprobaverunt. Postulabat quidem iure Pleitner, ut ipsa res simpliciter nec ornate significaretur, unde ‚auctus’ et ‚mactus’ reiecit; sed ‚functus’ caret tamen ea proprietate, qua Catullum insignem esse constat. Nisi fallor scribendum est *fruitus*, de Veneris gaudiis usitatum, de quibus ut sequentia adderet — ‚lascivolam degressionem’ appellat Baehrens — non modo uxoris amantis condicione tam tristi Callimachus adductus est, sed totius carminis consilio. De ea notione cf. Lucret. IV 1070 ‚nec constat quid primum oculis manibusque fruantur’ cf. 1097 B. Propert. II 9, 24 ‚isto capta fruare viro!’ Ovid. met. IX 724 ‚Iphis amat, qua posse frui desperat’, alia. De syllaba finali ante vocem graecam producta cf. L. Müller praef. p. LXXVIII. Vox autem ‚hymenaeus’ idem valet quod matrimonium, conubium cf. Lucr. IV 1243 ‚et multae steriles hymenaeis ante fuerunt pluribus’.

Pergimus ad v. 15. Poeta explicare vult quibus causis Berenice adducta id votum fecerit; et quoniam novae nuptae querelas coma senserit, hinc certe eo mariti desiderio, non alia ulla re sollicitam eam fuisse putat, ut se ipsam de capite cedere iuberet. Itaque ‚nocturnae rixae’ (cf. loci ab H. Magnusio allati *Zeitschr. f. d. Gymn.-W.* 1878 p. 504) mentio deducit poetam eo, ut comam interrogantem fingat haec (ex editione Schwabei):

Estne novis nuptis odio Venus atque parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me divi, vera gemunt, iuerint.

Nec haec nec ea quae sequuntur (v. 19—25) aliud quid spectant, nisi ut in tanta magnanimitate, quanta in ea cognita est (v. 25 sq.), tamen acerrima dulcis mariti cura expleta regina suo desiderio indulsisse in vovenda coma dicatur. Neque vero poeta ‚comparat tempus paulo superius, quo eadem Berenice ad virum adducta vix adire huius cubile voluit’, unde lasciviae quoque species evanescit.

Sed de reliquis huius loci difficultatibus Baehrens tam bene et acute p. 463 disseruit, ut nunc satis sit legentes ad eius commentarium relegasse. Demonstravit igitur aut ‚falsis' removendum esse aut cum Italis ‚anne' reponendum esse loco vocis ‚atque'. Ac rectissime idem denuo ut in anal. Catull. p. 57 monuit ‚parentum' corruptum esse, cuius de vocabuli interpretatione inutile est conferre c. LXIV 379 sqq., quod cum Baehrensii vituperatione fecit H. Magnus *Jahresber. des phil. Vereins* V 1879. p. 316. Sed quod ipse Baehrens nunc voluit ‚anne parumper frustrantur' deceptus opinione sua priore, cum proposuit ‚paventes', intellegit ‚gaudia Venerea, quae ipsas manentia prae pavore virginali differant novae nuptae' et illam differendi notionem recuperare studet. Ea vero sententia hic nec apta est nec verbis ipsis subest.

Nam si differendi notionem Baehrens requirit, aliquid consulto fieri statuit. Sed ‚falsae lacrimulae' non sunt simulatae, potius eae quae iusta causa carent et falsam excitant opinionem, respondentes illis verbis ‚non vera gemunt'. Ita ‚frustrantur' rem inceptam. De ea vel simili notione cf. Hor. sat. I 1, 61 ‚at bona pars hominum decepta cupidine falso' (‚*weil auf etwas Unrichtiges gerichtet*' Kiessling), c II 2, 19 ‚falsis uti vocibus' (‚*der unrichtige Gebrauch*' *gewisser Worte* Kiessling), Ovid. met. V 481 sq. ‚fertilitas terrae latum vulgata per orbem falsa iacet', V 147 ‚ave deceptus falsa', X 19 ‚falsi . . oris', Tac. ann. I 66 ‚simul tribuni et centuriones falsum pavorem esse docuerunt', alia. — Item igitur ‚frustrandi' verbum non ad consilium aliquod spectat, quia simplex est verbum nihilque aliud nisi merum eius actionis factum exprimit. Ultro igitur haec omnia fieri per pudorem virginalem nec consulto ipsa verba significant. Ergo etsi ita vel ipsa Baehrensii interpretatione correcta per se illud ‚parumper frustrantur' tolerari possit, deest tamen primum is, quem frustrantur; deinde oratione non notatur cuius ‚gaudia' sint. Nam in loco Catulliano c. LXI 117 sqq. ea aliquo modo definiuntur, et apud Ovidium met. VI 514 saltem ‚sua' additum est. Quae omnia plus minusve ad sensum molesta nos non sinunt eius inventum probare neque ex reliquis coniecturis ullam probabilem esse cum B. Schmidtio (cf. adn. cr.) consentio.

Et Peiperi coniecturam ‚parata' sero per H. Magnusium demum (cf. *N. Jahrb.* 1876. 113. p. 411 sq.) cognovi. Mihi enim latere videtur *parantem* i. e. eum qui gaudia parat sive maritum, quo vocabulo et ‚frustrantur' suum accipit obiectum et ‚gaudia' suam relationem. Nam ‚gaudia parare' de re Venerea recte dici, etsi alterum locum afferre non possum, demonstrant similia illa ‚gaudia ferre, capere, donare' (Hor. c. III 6, 27) aliaque.

Versus 21 sqq. coniecturis repositis nunc plerumque mutati a codicis V memoria leguntur. Ibi igitur levioribus scripturae mendis omissis haec fere quondam scripta erant:

21 *Et tu non orbum luxti deserta cubile*
Sed fratris cari flebile discidium
Cum penitus maestas exedit cura medullas
Ut tibi tunc toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit . . .

in versu 21 (cf. Schwabei adn. ‚*sscr.* al' at g') codex V variam praebebat lectionem ‚at' (quod firmatur codice M quoque cf. K. P. Schulze *Hermes* 1888 p. 573); in v. 24 habet ‚tunc *O* nunc *G*'.

Versus 21 et duorum qui antecedunt conexus primum spectari debet:

19 *Id mea me multis docuit regina querellis*
Invisente novo proelia torva viro.

‚Docuit' igitur regina ‚multis querellis' comam, se ita sentire ut in v. 15—18 significatum est. Id — inquit coma — ipsa ex eius querellis cognovi, non ‚edocta' ab illa, sed his signis docta.

‚Et — ita pergit coma — tu non luxisti desertum cubile, sed fratris discidium?' De ‚fratre' v. Baehrensii et Riesei adnotationes non omnino consentientes; sed ad ipsius orationis interpretationem ea dissensio nullius est momenti. ‚Et' in initio interrogativi alicuius enuntiati positum vel mirantis est vel indignantis eius, qui concludit, in re manifesta cf. Cic. pro lege Man. 14, 42 ‚et quisquam dubitabit, quin huic hoc tantum bellum transmittendum sit, qui . . .' in fine argumentationis v. Seyfferti schol. Lat. I § 40, 1. Itali reposuerunt ‚an'; Baehrens ‚at', ut occupatio esset. Per se quidem utrumque licet; sed primum

utrum est magis consentaneum huic toti loco, in quo inde a versu 15 coma tamquam rem secretam a se detectam paulo commotioribus orationis figuris aperit, illud ‚et’ an ‚at’? tum ea occupatio per ‚at’ introducta refutationem desiderat, quam quod traditum est ‚cum’ nullo modo reddit; inde Bentley id in exclamantis particulam ‚quam’ correxit, Baehrens in ‚ut’.

Iam illud ‚cum’ si qui explicant ‚eo tempore, quo’, certe ii — ut ipsius utar Baehrensii verbis — ‚ridicule’ agunt, ‚cum non in abitu viri, sed inde ab eo tempore cura maceraverit Berenicen. Utrumque bene distinguens Callimachus v. 24 „tunc“ (in abitu), v. 29 „tum“, v. 33 „ibi“ addidit’. Sed si eius coniunctionis ea notio intellegitur, de qua supra p. 76 sqq. 128 sqq. exponebatur, et lectio tradita servatur — quamquam id fortasse ei, in quo est ‚dubitatio acuta’ et ‚dives vena critica’ misellum videatur — et sententia evadit plana. Ergo tu — ita rationis conclusionem fere coma efficit — luxisti orbum cubile sive te luxisse mihi constat, ‚cum penitus maestas exedit cura medullas’; sic certe est, *nam ita* (huic enim notioni par est illud ‚ut’ in v. 24) tunc — in discessu — tibi ‚toto pectore sollicitae sensibus ereptis mens excidit’, etsi inde ‚a parva virgine’ magnum animum praestiteras (v. 25 sq.).

Itaque sic scribendi et distinguendi sunt illi versus:

Et tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium,
Cum penitus maestas exedit cura medullas?
Ut tibi tunc toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit. . . . .

Causalem vim ‚ut’ habet item in c. L 3 ‚ut convenerat esse delicatos’ i. e. ‚quemadmodum <sive: nam ita> inter nos constitueramus’ (Baehr.) et LXIV 241 ‚ut summa prospectum ex arce petebat’ i. e. ‚quemadmodum cotidie acropolin visendi causa adscendere solebat’ (Baehr.), adde Ov. a. a. II 590 ‚quod ante tegebant, liberius faciunt, ut pudor omnis abest’. Nec alia est notio in talibus enuntiatis, qualia haec sunt apud Ciceronem pro S. Rosc. 12, 33 ‚aiunt hominem, ut erat furiosus, respondisse’, pro Mur. 25, 51 ‚atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit’, Caes. de b. g. III· 8, 3

‚horum auctoritate finitimi adducti, ut sunt Gallorum subita et repentina consilia, eadem de causa Trebium Terrasidiumque retinent'. In his ‚ut' ubique reddi potest per ‚nam ita', si res antea nominata fuit; per ‚nam', si nunc demum nominatur. Inde mira illa regula rationem suam nanciscitur, qua ‚ut' rei appositae vim praedicati auctam addat aut minutam. Id fit in enuntiatis ellipticis cf. Kühner l. c. II p. 965 sq. et quae infra p. 166 sq. de c. LXVII 23 dicentur.

Sed enim ‚ut' omnino vim habet relativam, sicut ‚quom', neque alienae sunt inter se notiones, quae voci ‚ut' vindicantur localis, temporalis, comparativa, causalis. Significat enim abstracte tantum, non cum aliqua singulari vel pleniore notione, meram condicionem facti alicuius vel status vel denique rei, sive ea res locus est sive tempus sive causa, vel hominis per relationem indicatam, quoniam ipsum est pronomen relativum. Describi potest in commune eius particulae vis — nam conversio in his tenuibus vocabulis semper lubrica est et dubia — sic fere: ‚*wie es in dem Falle eben ist*, *war* etc.' Sed id, quod cadit in singulas res et condiciones, diversum fit praedicati appositi natura et alterius cuiusque enuntiati nexu. Quam notionem id vocabulum recepit ab origine sua. Constat enim *utei*, *uti* — unde decurtatum est *ut* per consuetudinis vim quandam abiecta longa vocali finali — e pronomine relativo ‚u-' et locali casu pronominis demonstrativi ‚to-'. Ac ‚-tei' esse localem casum nunc nemo negabit, sed illud nego equidem ‚utei' ‚uter' ‚ubi' aliaque eius generis adverbia oriunda esse e formis ‚cutei' ‚cuter' ‚cubi' a pronomine relativo eodemque indefinito ‚quo-' derivatis. Potius propriam esse illis vocalem ‚u' et primariam, his vocalem ‚o' apparet neque umquam haec cum illis propter hanc ipsam diversitatem principalem consociari possunt. Porro cur initiale illud ‚qu' vel ‚c' dimitteretur idemque rursus in aliis ut ‚sicubi' ‚necubi' retineretur, nemodum demonstravit nec demonstrari poterit. Sed nos quidem hoc loco tantum summa quaedam describimus. Omnes eius coniunctionis ‚ut' notiones exemplis collectis persecutus est Bastian Dahl in copiosissimo libro: *Die lateinische Partikel UT. Kristiania 1882*, quem saepius falsas rationes secutum esse nobis constitit.

Iam si Catullus in c. XI 2sqq. dicit:

Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda

cum Indos nominat, item — qualis est eorum situs mari vicinus — eius notionis ‚Indos' condicionem notat; inde ‚ut' per conexum recipit localem vim, ex origine vocabuli oriundam. Alios eius usus locos Baehrens ad h. l. attulit; cf. praeterea Dahl l. c. p. 145 sq. Is igitur usus quamvis rarus tamen est genuinus latinae linguae nec a graeca translatus. Nam ut in omnibus notionis originalis mutationibus et translationibus, item in hoc usu tenendum est, numquam fieri potuisse, ut ea coniunctio localem vim reciperet, nisi per originis proprietatem et indolem quandam indelebilem.

Si de tempore ponitur cum indicativo perfecti, ut apud Catull. X 5:

Huc ut venimus incidere nobis
Sermones varii,

semper alterius enuntiati actio refertur non tantum ad tempus, sed ad eam condicionem quae actione enuntiati secundarii effecta describitur. Inde illud quoque intellegitur, cur hae duae actiones enuntiati et secundarii et primarii aut ad idem tempus plerumque pertineánt aut ad idem temporis spatium cf. Kühner l. c. II p. 898.

Comparativam autem vim suscipit inde, quod in duabus actionibus inter se disiunctis et alienis similitudo aliqua inventa est, unde demum eius nexus species ac notio oritur, qui in aliis actionibus inter se vel tempore vel loco vel causa vel modo aliquo per ‚ut' coniunctis ab initio exstare videtur. Eam autem vocabuli ‚ut' notionem sane priscam esse et inde ab antiquissimis temporibus usitatam, hac re facile intellegitur, quod ea similitudinum sive analogiarum inventio una est ex primariis et principalibus viribus ad linguae vocabula notionesque creanda, formanda, augenda, amplificanda.

Exclamationis autem notio sive interrogationis non est reapse singularis quaedam, sed pendet tota ab enuntiati cuiusque pronuntiatione. Quod paucissimis quibusdam locis (cf. Dahl l. c.

p. 7 sq.) interrogativam quoque vim habet ea vox, non est mirum, quoniam pronomen illud ‚u-' relativum interrogativam vim per ipsam verbi pronuntiationem interrogativam induebat. Nam quod ‚ut' in interrogationibus saepe adhibitum est cum indicativo et coniunctivo, quae ab aliis verbis pendere dicuntur (cf. Dahl l. c. p. 17—34), idcirco non habet interrogativam vim. — Sed ‚ut' tantum ibi exclamantis est, ubi enuntiatum aliquod exstat separatum et disiunctum a reliqua oratione. Quod si alteri cuidam aliquo modo hypotactice subiungi potest, ‚ut' numquam exclamationis vice fungitur. Itaque ut exempla quaedam e Plauti Mostellaria afferam, versus 170 et 171 L. sic sunt distinguendi:

Ita me di ament, lepidast Scapha: sapit scelesta multum,
Ut lepide omnis mores tenet sententiasque amantum,

non, ut Lorenz fecit, plena interpunctione separandi. Nam hic eius iudicii, quod Philolaches fert, ratio et causa significatur. Item res se habet in v. 270 sq. L.:

Non videor vidisse lenam callidiorem ullam alteram,
Ut lepide atque astute in mentem venit de speculo malae.

Simillimus est is usus et congruus fere ei coniunctionis ‚quom' notioni, quam supra p. 76 sqq. explanavi. Quin ita ea quam dixi causalis notio statuenda sit, non dubium fortasse videatur ei, qui Lorenzii adnotata ad v. 268 inspexerit. Ibi duo illa enuntiata inversum ordinem habent:

Ut speculum tenuisti, metuo ne olant argentum manus.

Affert ibidem alios locos. His de causis necesse est magnum illum exemplorum numerum, quem Dahl l. c. p. 9—16 collegit, aliter atque ibi factum est in sua genera discerni.

Quomodo consecutiva et finalis vis nasceretur, paucis bene indicavit E. Hoffmann[2] l. c. p. 202, a. 148 cf. Dahl l. c. p. 147 sqq.

Versus 93 et 94 multum coniecturis tentati in codice V sic fere legebantur:

Sidera cur iterent utinam coma regia fiam
Proximus hydrochoi fulgeret Oarion.

Ac primum quaeri debet, quae sententia hoc loco comae tribuenda sit. Dixerat coma se discruciari, etsi sidus facta esset, cum cogitaret se semper a dominae vertice afore:

Non his tam laetor rebus quam me afore semper,
Afore me a dominae vertice discrucior.

Ita enim ea accusativi cum infinitivo structura a verbo ‚discruciari' pendens explicari debet; alia exempla praebet Kühner l. c. II p. 509. Si per ‚quod' ei verbo subiunctum esset enuntiatum, potius ab ipsa coma nihil nisi futurus sempiternus status simpliciter indicaretur. Ergo per illam structuram coma certe spatium quoddam sive potestatem professioni desiderii relinquit, quo in verticem se redire tamen cupere dicat. Laetari quidem se eo honore dixerat, sed magis tamen discruciari, nempe ut reginae ipsi, a qua coma discesserat, honor et reverentia debita a Callimacho tribueretur.

Ac tamen optavit, ut sibi in caelo affixae a novis nuptis munera libarentur, praeterea ut regina ipsa sidus largis muneribus afficeret cf. v. 79—92.

Sane difficilis erat et angusta condicio poetae aulici, qui reginae suae votum quondam factum tanto honore decorare novique sideris splendorem celebrare cupiebat et qui rursus comam detonsam sortem suam solitudinemque lugentem facere debebat, si ipse salva adulatione hanc quasi Scyllam Charybdinque evitare volebat. Quid enim faceret? Concideret totum carminis consilium, si sidus comae obstinate cuperet redire; quo enim consilio totam inventionem de comae honore divino factam esse tum censeremus? rursus si coma nihil aliud ageret nisi ut gauderet eo honore, nonne quod a capite reginae abesset eam gaudere invidi dicere poterant?

Ea igitur sententia desideratur, a qua utrumque absit. Inde Baehrensium non recte eam sententiam descripsisse apparet, cum haec dicit: ‚ad dominam ubi reflexit orationem, coma iterum in se sentit exardescere desiderii quo tenetur vehementiam: tamquam summo dolore subito correpta, si redire possit in reginae verticem, stellis quid fiat se nihil curaturam innuit: en dignum callido adulatore Callimacho finem'. Quod idem O. Ribbeck l. c. I p. 330 requirit, sicut antea H. Magnus *Neue Jahrbb.* 113 (1876) p. 412, qui comae locum illum caelestem ‚odiosum' esse contendit. At quae adulatio tali sententia consistere possit, equidem non dignosco. Ergo nisi coma insuperabili aliqua necessitate se e caelo

revinctam teneri fatetur, sive huc sive illuc orationem flexerit, semper in impeditum locum incurret, unde exitus non datur.

Accedit ratio grammatica, quae spectari debet. Quamvis dubia sit huius loci lectio, hoc tamen apparet, de natura eius actionis quae in lectione corrupta lateat, satis constare e formis ‚fiam' et ‚fulgeret'. Certissimum enim est, si quis ‚fulgeret' dicit, sive ea forma optantis est sive condicionem aliquam statuentis — ad has enim duas notiones et coniecturae hucusque prolatae redeunt et redire debent —, eum ita dicere non posse nisi sine ulla veritatis oppositione, quoniam haec est eius coniunctivi vel praesentis vel perfecti temporis ratio constans in omnibus eis enuntiatis, quae ab aliis non pendent suique iuris sunt. Atque Ellisii coniecturam ‚corruerent' contra vulgarem sermonis legem factam esse vix est, quod moneam. Ea enim actio cogitari tantum potest cum oppositione et respectu veritatis, sive ea veritas addita est sive suppleri debet.

Sed propter sententiae quae desideratur rationem nec Lachmanni coniectura ‚sidera corruerint utinam', quam B. Schmidt recipere noluit (cf. adn. crit.), nec Baehrensii haec: ‚sidera vi retinent; vetus at coma regia fiam (i. e. si fiam), proximus . . .' probari potest. Hic enim caesariem ita fere cogitantem facit: ‚sic sentio, si quae antea fui coma fiam, per me posse Oriona et Aquarium esse vicinos, quippe quae nihil sidera curem', statuitque simul ‚fulgeret' modum concessivum esse. Accedit quod ‚retinent' obiecto caret omninoque tota oratio in disiecta membra discerpitur.

Neque Hertzbergi coniectura explet id, quod desideratur. Scribendum enim esse censet:

Sidera corruerint, iterum ut coma regia fiam.

Quid? formam ‚corruerint' sive modum optativum interpretamur sive concessivum, perfectae actionis tempus semper offensionem habet, quoniam verbum respondens ‚fulgeret' praesentis temporis est. Sed contra has omnes quas attuli coniecturas illud dicendum est, si revera ‚corruerint' sidera, nec Hydrochoum nec Orionem amplius omnino fulgere posse.

Haec autem sidera maxime inter se locis suis distant. Hoc igitur dicere debebat coma, totius caeli ordinem turbatum iri, si

iterum coma regia fieret. Ita quidem sine ulla reginae offensione id cupit, quod cupere debet, ut redeat in verticem, et illud simul negare potest sibi reditum licere. Et quoniam per coniunctivum praesentis temporis ea significantur, quae non vera sunt per se, sed cogitata tantum et ficta proponuntur (cf. Kühner l. c. II p. 923), traditae lectionis ut par est in Catullo apicibus accurate servatis haec mihi evadit emendatio:

Sidera cuncta ruant, si iterum coma regia fiam:
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

Ita hoc quod in altero versu nominatur exemplo illud ‚ruere' apte illustratur; ‚ruentibus' enim sideribus nec tamen ‚corruentibus' Orion iuxta Aquarium fulgurare poterit. Asyndeton autem, quale hic exstat, talium maxime sententiarum, quae ut vel rei dictive alicuius veritas sanciatur vel ut aliquid fieri numquam posse contendatur, fictione aliqua mutationes in mundo contra rerum naturam et ordinem factas per similitudinem proponunt, proprium esse vel hi loci arguunt, quos afferam. Propertius, dum Cynthiae perfidiam exprobrat deorumque ultionem metuendam proponit, cum addit, siquid durius ei acciderit, hoc cum suo vulnere et dolore fieri, per asyndeton pergit I 15, 29 sic:

Multa prius vasto labentur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutatur pectore cura.

Sed in his quoniam ‚multa' corruptum esse constat, nec ‚nulla' aut ‚muta' meliorem sensum affert, id reponendum recte videtur vocabulum P. Krumbholzio, quod et notioni ‚labendi' et ablativo satis faciat, *prona,* collato loco Horatiano c. I 29, 10—12 ‚quis neget arduis pronos relabi posse rivos montibus et Tiberim reverti, cum . .', ubi v. Kiessling. Voci enim ‚prona' non minus congruens est ablativus quam alteri adiunctae ‚labentur'. Nam ‚labi' satis frequenter cum ablativo iungitur cf. Hoerlei de casuum usu Propertiano diss. Halens. 1887 p. 67 sq. — Adde II 15, 31 sqq. III 19, 5 sqq., Ovidii trist. I 8, 1 sqq. alios locos.

Eadem subita rei impossibilis introductio fit apud Graecos, ut apud Aeschylum in Agam. v. 320—325 in comparatione; cf. ibidem Wecklein, qui affert Herodot. V 92. Adde Eurip. Med. v. 410 sq.:

Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί,
Καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.

Ubique sine ullo orationis lenimento per similitudinem aliquam id quod contra naturam fit cum impetu quodam sensus infertur.

VIII. In carmine LXVII ad ianuam Veronensis cuiusdam domus derecto eas confidentiae poenas, quas subiturus esse Baehrensio videtur, si quis plene illud se intellexisse opinetur, ita nunc vitare studeo, ut unum locum corruptum emendare coner.

In ianuae confessione de vita moribusque mulieris in ea domo habitantis facta haec aperiuntur (in v. 20 Italorum coniectura ‚attigerat' reposita pro ‚attigerit' codicis V):

Primum igitur virgo quod fertur tradita nobis
Falsum est. non illam vir prior attigerat,
Languidior tenera cui pendens sicula beta
Numquam se mediam sustulit ad tunicam:
Sed pater illius gnati violasse cubile
Dicitur et miseram conscelerasse domum,

ubi in v. 23 adeo nihil ad acrem eius sententiae perspicuitatem, qua ipse ‚pater illius gnati violasse cubile dicitur' deesse videtur, ut hoc ‚illius' superfluum et languidum sit. Accedit quod in hoc uno loco apud Catullum genetivi formae in ‚ius' exeuntis ‚i' longam facit syllabam, omnibus quidem in aliis corripitur; quae exempla congesta afferuntur a Rieseo ad c. III 8. Inde ipsum vocabulum in suspicionem vocatum est, velut nuper a Baumanno de arte metrica Catulli *Progr. Landsberg a. W.* 1881 p. 17, antea ab aliis. Sed ut et legitima eius syllabae restituatur mensura et ipsi pronomini ‚illius' sua reddatur vis, id vocabulum inserendum est, quod post ‚illius' excidit propter syllabae finalis similitudinem, *ut*. Quod causam significat in patris opinione positam, quem scelus suum tamquam ius quaesitum iudicasse per acerbam irrisionem poeta dicit. Redit enim eadem irrisio respondentibus ipsis tributa in v. 29 sq.:

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.

Est autem is eius vocabuli usus, ut sicut graecum ὡς causam addat ex opinione vel dicentis vel personae alicuius de qua dicitur.

Cicero in Tusc. I 43, 104 scribit: ‚durior Diogenes, et is quidem <idem> sentiens, sed ut Cynicus asperius proici se iussit inhumatum' et V 32, 92: ‚Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset: nunc quidem paululum, inquit, a sole', alibi: cf. Weissenborn ad Liv. VIII 28, 3. Nam uxor, quae in manum mariti convenit, quamdiu mariti pater vivus est, in huius potius manu est eique est neptis loco; maritus enim tum demum sui iuris fit, si non est filius familias, sed ipse domus dominus cf. Rossbach *Unters. über d. röm. Ehe* p. 11. Eum autem patrem filii, cuius uxorem corrupisse dicitur, Brixianum fuisse uxoremque cum filio Brixia Veronam venisse ex hoc loco et e versibus 31 et 32 manifestum fit.

Eam autem uxorem Balbi filiam fuisse, cuius domi postea Veronae cum marito habitaret, apparet e carminis initio, de quo nonnulla hic adicienda videntur.

Ianua, quoniam custos est domus eiusque integritatis et domesticorum aut aegre ferre libidinosam vitam aut rursus bonis moribus gaudere fingitur, in v. 1 ‚iocunda' vocatur ‚dulci' i. e. ab uxore dilecto ‚viro' itemque ‚iocunda parenti'. Sed cui ‚parenti' et cur?

Ea autem ianua, quam primum salvere iubet Iovisque auxilio auctam vult poeta in v. 2, tum ‚quam Balbo dicunt servisse benigne' homines in v. 3, cum — ut est in v. 4 — ille senex ‚ipse' i. e. fere ‚vivus' tenuit (nam ita rectissime hos versus 3 et 4 Baehrens interpretatus est), secundum hanc ipsam membri relativi necessitudinem nullo modo communis quaedam cuiusvis domus ianua esse potest neque ‚dicta sunt haec in universum in laudem ianuae', ut Baehrens opinatur et Riese, qui illud ‚dulcis' esse ‚epitheton ornans' dicit, sed huius domus haec ianua esse debet, quam poeta alloquitur, et eadem, quae olim Balbi fuit, eius domus possessoris. Nam priore membro relativo quod adiungitur nomini ‚ianua', certius iam definitur eius ianuae condicio et munus, cui per alterum additum membrum v. 5 et 6 ‚quamque ferunt rursus . .' opponitur munus benignitatis in malignitatem commutatum. Inde necessarium fit eundem fuisse ‚virum' et ‚parentem', qui in v. 1 nominatur — is fuit Balbus —; qui ‚vir' fuerat, tum ‚parens' factus est auctus filia, quae inde a

v. 19 describitur, ut recte primus vidit Baehrens, idemque cum senex esset eas sedes tenuit.

Porro quod loco corruptae et plane inexplicabilis vocis ‚voto' reponendum censuit Baehrens ‚natae', id huic loco non est idoneum. Nam cum mutata fuisse ianua ‚in dominum' veteremque deseruisse fidem feratur, nondum is dominus significatus est, qui Balbum in eius domus possessione exciperet. Qua de causa neque ‚natae' neque quae cum ea coniectura artissime cohaeret altera Baehrensii ‚postquam est porrecto facta era rite sene' stare potest. Sed in ‚voto' latere debet nomen aliquod proprium, respondens nomini alteri ‚Balbo' per oppositionem. Suppeditavit mihi P. Krumbholz *Varo*, quod nomen viri non minus ignoti quam Balbi loco corruptae vocis ‚voto' cum veri similitudine reponitur. Ergo recte se habet Schwabei interpretatio conferentis Livii XXVII 31, 5 ‚per maritas domos'.

Sed haec omnia superioribus temporibus facta arguunt infinitivi praeteriti temporis ‚servisse' in v. 3 et 5, ‚deseruisse' in v. 8; nunc vero ea ianua domusque est Caecilii. Idem fere iam monuit Baehrens ad v. 9 sq. p. 484 sq.

Addendum.

Cum iam ea quae de c. LXVIII exposita sunt typis descripta essent, novos duos de eodem carmine libellos prodiisse comperi; unus est Hoerschelmanni libellus ‚*Catull 68*' Dorpati h. a. ed., quem in catalogo Lipsiensi ‚*Allgemeine Bibliographie für Deutschland*' p. 137 indicatum inveni. Sed is usque ad hunc diem (12. d. mens. Mart.) in manus meas nondum pervenit. Alterius notitiam Henrici Keilii comitas mihi praebuit. Indicibus enim lect. aest. Marpurg. huius anni Th. Birt commentariolum praemisit ‚de Catulli ad Mallium epistula', in quo viam a nostra plane diversam ingressus est. Legant ipsi Catulli ‚amatores' quae ibi ex eo interpretationis genere proferuntur, quod supra p. 100 significavi. Neque vero equidem recuso illud Birtii l. c. p. 9: ‚Veri dissimilitudinem praeferat cuicui placebit'.

1. Index rerum et verborum.

2. Index locorum tractatorum.

(Numeri inclinati indicant de scriptura agi.)

p. 90 extr. corrig*as*: postea
p. 94 in altero versu corrig*as*: quas (pro ‚quae')

Gothae: typis Fr. Andr. Perthesii